L. ATTII FRAGMENTA.

POST BOTHII ALIORUMQUE CURAS
RURSUS COLLEGIT, DISPOSUIT, EMENDAVIT

FRANCISCUS HENRICUS CRAMER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

PARS PRIMA.

MONASTERII
TYPIS COPPENRATHIANIS.

MDCCCLII.

MANIBUS

MATRIS ELISABETHAE GIESE

ET

FRATRIS THEODORI CRAMER,

QUOS NUPER SUMMUM AD MEUM DOLOREM MORS
MIHI ERIPUIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUI.

Praefatio.

Attii fragmenta quum colligerem, manifestum est tria mihi fuisse petenda.

Primum, ut verba poëtae, quoad in tanta depravatione fieri posset, genuina investigarem. Qua in re, ratus permultum post Bothii aliorumque fragmentorum collectiones*) proficiendum restare, ne temere egisse viderer, neve lectori ipsi in locis corruptis coniiciendi copia deesset, lectionum varietatem, qualem in optimis quibusque eorum, e quibus colligebantur fragmenta, scriptorum editionibus inveni, adscripsi Sed quum critica coniecturalis maxima ex parte penderet ab argumentis — id quod non opus est ut demonstrem — supervacaneum omnino duxi, cumulare omnes virorum doctorum coniecturas, etiam eas, quas editores argumentis non deliberatis inconsulte fecerint. Quas vero notatu digniores reperi, notis addidi. Ceterum si iniuriam habere propensus sis me hic illic pri-

*) Fragmenta veterum poëtarum Latinorum a Roberto Stephano et Henrico filio coll. Parisiis 1564. Rursus edita a Theod. Ians. ab Almeloveen Amstelodami 1686. — Syntagma tragoediae Latinae ed. Mart. Delrio Antverp. 1593 et Paris. 1620. (Tom. I. p. 93 sqq. — Fragm. vett. tragg. Latt. coll. a Petro Scriverio Lugd. Bat. 1620. Cum notis G. I. Vossii ibid. 1693, 1720. — Opera et fragmenta vett. poëtt. Latt. ed. Mattairius. Londini 1713 (Vol. II p. 1456 sqq.) — Poëtarum Latii scenicorum fragmenta recens. F. H. Bothe. Lipsiae 1834. Inspicere non potui: Théâtre complet des Latins par Levée, augmenté etc. par Duval (Tom. XV continet fragmenta) Paris. 1823. — Seneca's Tragoedien nebst d. Fragm. d. übr. Röm. Trag. übers. v. Swoboda (Tom. III cont. comment.) Wien 1825, 1830.

mos coniecturarum auctores non nominavisse, cogitare velis, tum eas plerumque tam faciles esse ut cuivis se offerant, tum etiam, textum me emendare studuisse, antequam omnes virorum doctorum coniecturas noverim indeque saepe factum esse ut inventa iam iterum invenerim.

Alterum propositum fuit, ut iustam fragmentorum intelligentiam consequerer. Quare non solum Grammaticorum explicationes reliquorumque scriptorum contextum, cui inseruerint reliquias, addidi — quibus multum nos promoveri statim videbis —, sed etiam locos alios arcessivi, quibus fragmenta obscuriora illustrarem aut meam interpretationem adiuvarem.

Denique necessarium fuit, ut argumenta fabularum quam maxima probabilitate exquirerentur. Hoc votum ut impetrarem strenue tragicos poëtas Graecorum adii, ita ut non solum fabularum superstitum sed etiam fragmentorum ex deperditis rationem accurate haberem. Quidquid enim de Romanorum tragica poesi quis sentit, hoc nemo refutabit longe maiorem tragoediarum numerum Graecorum fuisse imitationem. Ita Latina e Graecis, Graeca e Latinis fragmenta mutuo lucem accipiunt. Qui primi hac in re etiam apud Attium aliquantum profecerunt Welckerus et Hermannus sunt, quorum opiniones, ut sunt doctissimae ingeniosissimaeque, diligenter semper respexi.

Haec sunt quae spectavi. Si nonnumquam peccavi, condonare velis, lector benevole, iuveni, memor operis difficultatum et illius Ovidiani:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Editiones scriptorum, qui fragmenta Attiana servaverunt, adhibitae sunt hae, quas inspicias de siglorum significationibus.

L. Apuleii opera ed. Hildebrand. Lipsiae 1842.
Censorinus de metris. Ed. in Putschii Corpore Grammat. vett. Latt.
Flavii Sosipatri Charisii Institutiones grammaticae. In Putschii Corpore.
M. Tullii Ciceronis opp. ed. Io. C. Orellius Turici 1826 — 38.
Cledonii senatoris Romani Constantinopolitani grammatici in Donati artem primam et secundam expositio. Ed. in Putschii Corpore.
Terentii com. sex cum interpretatione Donati et Calphurnii ed. Westerhovius. Ed. curante Stallbaum. Lipsiae 1830.
Eutychii grammatici de discernendis coniugationibus libri. Ed. in Lindemanni Corp. Grammatt. vett. Latt.
Sexti Pompeii Festi de verborum significatione quae supersunt cum Pauli epitome ed. C. Odofredus Mueller. Lipsiae 1839.
A. Gellii noctes Atticae ed. Alb. Lion. Gottingae 1824.
Velius Longus de orthographia. In Putschii Corpore.
Aur. Theedos. Macrobii opera. Ed. Biponti 1788. Eiusdem de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi libellus ed. in Putschii Corpore.
Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticensis de compendiosa doctrina per litteras ad filium cett. Ediderunt Fr. Dor. Gerlach. et Car. Lud. Roth. Basiliae 1842.
Prisciani Caesariensis opera. Ed. Aug. Krehl. Lipsiae 1819—20.
M. Fabii Quinctiliani de institutione oratoria etc. ed. G. L. Spalding. Lipsiae 1798 sq.
Rufini commentarius in metra Terentiana; ed. in Putschii Corpore.
Commentarii in Virgilium Serviani ed. Alb. Lion, Gottingae 1826.
M. Terentii Varronis de lingua latina ll. ed. C. Odofr. Mueller. Lipsiae 1833.
Marii Victorini ars grammatica. Ed. in Putschii Corpore.

Tabula rerum.

Notae.

— — (vel - - in annotationibus) Lineolae indicant verba illic nonnulla omissa esse, quoniam ad rem non quadrant. Prout una vel ante vel post fragmentum aliquod scripta est in contextu commentationum, significat vel priorem, vel posteriorem versus partem propter metrum desiderari.

——— Maior linea in citatis fontibus vel fragmenti totius, ut in contextu commentationis legitur, vel maioris partis locum explet.

. . . Puncta lacunas ostendunt.

Reliquas notas facile intelliges.

L. Attii fragmenta.

Nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum Romana tragoedia est.

Velleius Paterc. I. 17.

De L. Attii vita abunde disputavit Car. Stahlberg: Commentationis de L. Attii vita et scriptis particula. Dissert. inaug. Halis 1844. — De nominis scriptura quae dicta iam sunt ab aliis et repetita, hic rursus proferre nolui. Cf. Jahn et Heinrich. ad Pers. sat. 1. 50. Stahlberg. l. c. p. 1. Ritschl. Parerg. Plaut. 1. 36. Equidem persto in sententia eorum, qui et Attium et Accium iure usurpari contendunt, Actium vero falso; quibus Lachmannum quoque accedere, virum orthographiae Latinae peritissimum, ut eius Lucretii elegantissima editio prodit, haud parvi momenti haesitantibus esse indico.

Ad dispositionem quod attinet commentationum de fabulis crepidatis, quarum longe maior fragmentorum numerus superest, secuti sumus rationem Welckeri aliorumque, qui secundum carmina cyclica, e quibus argumenta fluxerunt, tragoedias ordinaverunt.

Tragoediae crepidatae.

I. Cypria.

TELEPHUS.

Cf. Iahn. Telephus und Troilus; Kiliae 1841. p. 37 sq. Welcker. tr. Gr. p. 31 sq. Grotemeier. de L. Attii tragoediis. Diss. inaug. Monast. 1851 p. 25 sq.

Telephi historiam, quam Aristoteles Poet. 13. 7 iis adnumerat mythis, qui splendidissimis tragoediis argumenta praebuerint, tractandam sibi sumpserunt multi tragici poëtae: Aeschylus, Sophocles, Euripides, Iophon, Agathon, Cleophon, Moschion et e Latinis poëtis Ennius et Attius. Quorum tragoedias exceptis paucis fragmentis aetatem non tulisse, eo vehementius dolendum est, quo magis tragicae poesis indoli apta videntur, quae de Telephi historia cognita habemus. Ne hoc quidem nisi incertis coniecturis assequi possumus, quasnam potissimum universi mythi partes singuli poëtae sibi elegerint. Sed summum Euripidei Telephi, cuius plura quam ceterorum fragmenta supersunt, in iis positum fuisse, quae infra exponemus, virorum doctorum iusta et unanimis fere sententia est; neque hoc infitiantur, ex Attii fragmentis intelligi par esse, idem ei cognominis tragoediae argumentum fuisse. Inde nostrum, quum persaepe Euripidis imitator reperiatur, hic quoque illum ante oculos habuisse facilis est coniectura, quae probabilis fit eo, quod. fr XVI cum Eurip. fr. Telephi 24, et fr.

XI cum Eurip. incert. fr. 37 (Dind.) admodum consentiunt. Huius rei rationem habentes fragmenta in ordinem digerere conati sumus.

Consilio de bello contra Helenae raptorem capto Graecorum principes cum militibus naves conscendunt. Qui quum in itinere ad Mysiam Teuthrantis regnum classem appulsuri terra prohibeantur, pugna exoritur, in qua Telephus Achillis hasta vulneratur. Cf. Pind. Ol. 9. 107 sq. Isthm. 5. 72 sq. 8. 107 sq. Redeunt Argivi. Dein haec habet Hyginus f. 101: *Telephus, Herculis et Augae filius ab Achille in pugna Chironis hasta percussus dicitur. Ex quo vulnere quum in dies tetro cruciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset remedium. Responsum est ei neminem mederi posse, nisi eandem hastam qua vulneratus erat. Hoc Telephus ubi audivit, ad regem Agamemnonem venit et monitis Clytaemnestrae Orestem infantem de cunabulis rapuit minitans, se eum occisurum, nisi sibi Achivi mederentur. Achivis autem quod responsum erat, sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt et ab Achille petierunt, ut eum sanaret. Quibus Achilles respondit, se artem medicam non nosse. Nunc Ulysses ait: Non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat. Quam quum rasissent, remediatus est. A quo quum peterent ut secum ad Troiam expugnandum iret, non impetrarunt, quod is Laodicen Priami filiam uxorem habebat, sed ob beneficium, quod eum sanarunt, eos deduxit, locos autem et itinera demonstravit; inde in Mysiam est profectus.* Haec ita Hyginus; e quibus in universum oeconomiam Euripidei Telephi cognosci omnino concedendum est. Sed quod ille tradit, Telephum ipsum de cunabulis rapuisse Orestem, illud Euripidem puto quodammodo mutasse. Nam Schol. ad Aristoph. Acharn. 322 ita dicit: ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών. Iam vero nemini ignotum est, Euripidem, ubi eadem ac Sophocles vel Ae-

schylus argumenta tractaverit, valde ab iis diversum esse quum in universa dispositione tum in scenis primariis. Quare etiam hic eum ita discessisse ab Aeschylo puto, ut raptum per socios Telephi extra scenam actum finxerit. Adductus sum ut hoc suspicarer fr. XIV Attii, quod, nisi hoc statuas, omnino explicare non poteris*). Scenam Argis fuisse demonstrant Eurip. Tel. fr. 14 et inc. 62, quod nonnisi a Telepho in fabula cognominata pronunciatum esse potest. Chorum e militibus Graecis compositum esse censeo, nam duces verisimile est nondum singulos in suas terras dilapsos fuisse, sed retinebat eos Menelaus iure iurando sibi ad bellum obstrictos. Viae ignari et calamitatibus — nam tempestatem etiam experti erant — ad reditum coacti circa Argos castra constituerant eo usque moraturi, donec viae ducem invenissent vel consilium a bello desistendi firmavissent. Quod praeterea in Cypriis fuit, Achillem a Thetide in Scyrum traductum esse ut belli pericula effugeret, non opus est ut hoc loco curarint poëtae. Chorus autem e castris ad Agamemnonis aedes se contulerit, ut urgeat principes ibi congregatos ad certum tandem consilium capiendum. Simili modo in Sophoclis Oedipo Coloneo chorus adest, ut cum rege de tollenda calamitate consultet. Hoc quamvis pro certo non venditaverim, tamen indicare videntur fr. IV et XVII. Prologum pronunciat Telephus, qui habitu miserrimo (qualem Aristoph. Acharn. 438 — 475 per irrisionem eum describit) pannis obsitus ne cognosceretur et propter vulnus claudicans in scenam prodit sociis ad litus post montem quendam (fr. XIV), quo navis occultetur, relictis. Qui ut spectatores expeditos

*) In eandem nuper incidit coniecturam Grotemeier. — Opus illud caelatum cistae Etruscae, quod ad Euripidis fabulam retulit Iahnius l. c., ad Aeschyli potius tragoediam referendum videtur. Nam si recte memini Telephus in pictura illa Orestem συλλαβὼν ἔχει, ut Schol. l. c. loquitur.

reddat ad viam tragoediae exsequendam sua fata exponit. Miserias suas conquerens dicit:

1. I. — Flucti cruóris volvuntúr mihi.

Et paullo post:

2. II. Nam is démum miser est, cuíus nobilitas míserias
Nobílitat. —

Sed oraculum habet (ὁ τρώσας ἰάσεται. Schol. Arist. Nub. 921), cui confidit:

3. III. Pró certo arbitrábor sortis óracla adytus aúgura.

Ad nodum fabulae, qui dicitur, nectendum in priore parte colloquium inter Telephum et Clytaemnestram positum sit necesse est. Haec illius calamitatibus ad misericordiam adducta et ira propter Iphigeniam immolatam permota auxilium illi promittit. Consilium inter se communicant Agamemnonem raptu Orestis cogendi, ut Telephi voluntati obtemperet.

In scenam dein processerit chorus, cui facile tribuuntur:

4. IV. Iam iám stupido Thessála somno
Pectóra languéntque senéntque.

Excepit chori carmen scena, cuius initio Graecorum duces tesseris ludentes conspiciebantur (Eurip. Tel. fr. 3.)

I. Non. p. 488. 11. *Flucti pro fluctus. Accius Telefo: f. c. volverunt m. (volverentur* m L. princ. — *volverent* A I.) Cf.: Lacrimae volvuntur inanes. Virg. Ae. 4. 449.

II. Non. p. 352. 8. *Nobilis dicitur et notus - - Unde et nobilitarent notificarent dictum est. - - Accius Telepho: na his demum miserer, cuius nobilitas miserias Nobilitat (telepho: nam is demum miser est* edd.) Telepho miseriae eo molestiores etiam erant, quod, quum ipse esset nobilis, per universum Teuthrantis regnum innotuerant.

III. Non. p. 488. 3. *Augura pro auguria Accius Telefo:* —— *(Telofo* W.) Ita etiam aplustra invenitur pro aplustria.

IV. Prisc. de metr. Ter. 10. 3. 20. - - *seneo invenitur in usu. Attius in Telepho:* ——. Pectora Thessala sunt Achillis Myrmidones, quorum urbs patria Phthia sita est in Thessalia. — Cf.: Corpus meum tali maerore, errore, macore senet. Pacuv. ap. Non. 137. 1.

De hac re bene disputavit **Wagnerus** ad Euripidis fragmenta (Parisiis apud Didot fratres p. 788 sq.) cuius nonnulla, quum optime etiam Attii fragmentis conveniant, adscribimus: „Per machinam", ait, „quae ἐκκύκλημα appellabatur, interior Agamemnonis aedium pars spectanda proponebatur. — — Mox autem Agamemno et Menelaus ludo dimisso in scenam processisse videntur inter se litigantes, ut apertis verbis testatur Dictys 2. 7. Menelaus enim bellum primo quoque die continuari volebat, ac non modo Agamemnonis ignaviam reprehendebat, sed immolatam Iphigeniam quoque ei exprobrabat. Quamobrem Agamemno vehementer in fratrem invehebatur." Chori igitur rogatu arcessituque adducti consilium ineunt duces. Agamemnonis verba esse puto:

5. V. Quantám Tyndareo gnáta et Menelaí domus
Molem éxcitarit bélli pastorque 'Ilius.

De Helena idem maledice loquitur, quae

6. VI. — Múlier una duúm virum. —

Quare fratrem adhortatur ut desistat a proposito:

7. VII. Studiúmque iteris reprime —

In colloquii progressu contumeliae intorquentur inter fratres, cuius rixae fragmentum invenisse mihi videor in his:

8. VIII. Ag. Quís homo te exsuperávit unquam géntium impudéntia?
Men. Quís autem malítia te? —

V. Prisc. l. c. 2. 16. *Attius in Telepho:* —— (*Tyndarea* ed. Asc. — *illius*. cod. Lugd. edd. vett.)

VI. Cic. Orat. 46. 156. Tragoediae nomen ibi non indicatur.

VII. Non. p. 485. 8. *Iteris positum pro itineris et quidem recte ab eo quod iter iteris facit, itiner itineris. Accius - - Idem Telefo:* —— (*telofo* W.)

VIII. Cic. Tusc. 4. 36. 77. *Ira vero, cum diu perturbat animum, dubitationem insaniae non habet: cuius impulsu existit etiam inter fratres tale iurgium:* —— *Nosti, quae sequuntur; alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae: ut*

Finis iurgio fit, quum nuncius afferatur de adventu Telephi qui describitur:

9. IX. — Quem ego ubí virum aspexi
'Immortalem mi íntui vidérer ni vestítus teter
Maéstitudo vástitudo praédicarent ésse hemonem.

Tantummodo principibus voluit respondere:

0. X. Quin néque cuiatis ésset unquam pótuimus
Multá rogitantes scíscere —

Producitur in scenam, ubi profert fictam aliquam narrationem de rerum suarum mala commutatione et statu. In hac oratione dixerit:

1. XI. — Nam si a me régnum fortuna átque opes
Erípere quivit, át virtutem nón quiit.

---

facile appareat, A t r e i f i l i o s esse, eius cett.. (*Qui* Bentl. — Nonnulli libri *usquam*, quod Bentl. aliique receperunt — Bouher. metri causa: *Quis te aut. mal.*, Both: *Quis mal. aut. te?*) *Quis*, cum accentum habeat, productae syllabae vicem praebet. Fortasse *homo* Vocativ. est, ut hoc loco: T u h o m o adigis me ad insaniam. Ter. Ad. 1. 2. 31. M i h o m o. Plaut. Pers. 4. 4. 69. Negligentiae est permagnae, hos versus ad Atrei et Thyestis iurgium ante diras illas epulas referre, ut Bothius, Orellius aliique fecerunt.

IX. Non. p. 136. 22. *Maestitudo pro maestitia. Accius Telefo: q. e. u. aspexi vir, Memorabilem intui viderer, ni vestitus taeter Mestitudo v. pr. hominem esse.* (*Virum memor.* edd.) Versus dedi ex Bothii praecipue coniectura restitutos; sed poëtae manus difficilis est inventu. — Festus p. 100: H e m o n e m hominem dicebant.

X. Non. p. 426. 24. *Cuius et cuiatis haec est differentia: cuius ad personam refertur hominis, cuiatis unde significat. Accius Telefo: qui neque c. e. u. p. M. erogitantes isciscere (rogitantes scire* ante M. — *rogitantes resciscere* mg I. — *erog. sciscere* M.) *Cuiatis* Nominat. est. Cf. Plaut. Curc. 3. 37; Poenul. prol. 109 all. ll. — Cf.: Ibo ad eam ut s c i s c a m quid velint. Pacuv. ap. Non. p. 505. 27. — Ex voce *unquam* colligi licet, nuncium hunc aliquem ex sociis Telephi fuisse, qui fictis verbis ducum animos praepararet, ut illius narrationi fidem haberent.

XI. Macrob. Sat. 6. 1. *Vergilius: Nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. Accius in Telepho:* —— Apud Macrob. inveni *ac;* sed sine dubio *at* est legendum. Cf. Herm. ad Viger. 241.

Eurip. inc. 37:

Εἰ τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασιν λελείμμεθα
Ἡ δ' εὐγενεία καὶ τὸ γενναῖον μένει.

Unius ex principibus est:

12. XII. Profécto haudquaquam est órtus mediocrí satu.

Et

13. XIII. Nam étsi opertus squálitate est lúctuque horrificábili

Sed Ulixes astutus eum agnovisse videtur. Inde quum in eo sit ut duces gladiis strictis persequantur hominem sibi odiosissimum, nuncius adest, rapuisse nautas Orestem et cum eo altum petiisse:

14. XIV. — Remísque nixi próperiter navem ín fugam
Tránsdunt subter sáxa ad laevam, quá mons mollibát mare.

Auctor facinoris facile Telephus cognoscitur, neque repugnat hic sed abiectis pannis quis sit aperte ostendit exponitque cur venerit. De Orestis vita actum esse ait, nisi ipse incolumis evadat votique compos fiat:

XII. Non. p. 174. 13. *Satu positum pro semine. Accius - - Idem Telefo:* —— *(profecti quanquam* ante M. — *profecto aium quamquam* L. — *ortus meliori* A I.*)*

XIII. Non. p. 226. 3. *Squalor masculini est generis. Feminini Accius - - Idem Telefo N. e. o. sq. e. l. horrificali (operta* A I.*) Horrificabili* recta est Vossii coniectura; derivatur enim a horrifico, ut tabificabilis a tabifico.

XIV. Non. p, 155. 7. *Properatim et properiter, celeriter properanter - - Accius Telefo: r. n. p. n. i. f. Tradunt (transdunt* ms Cuiac. M.*)* Id. p. 307. 27: *Fuga significat citus cursus - - Fuga item dicitur navigatio. Accius Telefo: r. n. p. n. i. f. Transeuntur (transeunt* A.*)* Id. p. 347. 14: *Molle est non durum - - Molle placidum. Accius Telefo; nixi periter n. i. f. Tradunt subter axa ad leva, quam mons mollibat mare. (pariter* B — *nisi pariter* A. — *properiter* edd. — *trandunt* L. — *traducunt* B. — *levam* A.) Cf.: Nisus baculo Ov. Pont. 1. 8. 52.—*Qua mons mollibat mare* i. e. ubi mons maris impetum frangebat, undas placabat. Cf.: Mollire impetum. Liv. 3. 35.

15. XV. Núnc tu in re creperá tua quid cápias consilii
vide.

Maior etiam ira corripit Graecos. Sed Clytaemnestra, quae interea e regia processit, vehementibus verbis adit coniugem ne scelus sceleri addens post Iphigeniam Orestem quoque perdat. Huius fuerint vel chori assentientis:

16. XVI. — Proinde isthaéc tua
Aufér terricula atque ánimum iratum cómprime.

Eurip. Tel. fr. 24:

Ὥρα σε θυμοῦ κρείσσονα γνώμην ἔχειν.

Necessitati morem gerens precibus se cessurum ostendit Agamemno, sed oraculi obscuritas impedit, quominus recte intelligatur. Quam difficultatem tollere, ut tragoediae dispositionem investigavimus, non Ulixi, sed alicui deorum potius tribuendum videtur. Nam illud non sufficiebat, ut oraculum explicaretur; necesse erat etiam ut animi fratrum ad mansuetudinem flecterentur et Agamemnon sua pertinacia non amplius alios quoque duces a Menelai consilio abalienaret. Accedit, quod Telephus eo adduci debebat, ut Graecis, licet socero infestis, viam monstraret. Quare crediderim Minervam ex machina apparuisse, ut eodem modo ac Hercules in Philoctete Sophocleo nodum solveret et fata Troiae praediceret. Finem tragoediae carmen chori fecisse arbitror, qui otii invisi iam diu pertaesus, quum quod optaverit adeptus sit, belli cupidissimum se dicit:

XV. Non. p. 13. 23. *Crepera res dicitur proprie dubia; unde et crepusculum dicitur lux dubia et senes decrepiti, in dubio vitae constituti. Creperum bellum anceps et dubium - - Accius - - Idem Telefo:* ——

XVI. Non. p. 227. 31: *Terriculae generis feminini. Neutri Accius - - Idem Telefo: Proinde istahaec t. A. t. a. a. i. c.* Cf.: Iurgium hinc auferas Plaut. Pers 5. 2. 18. — Cor acerbum contundere et comprimere. Attius in fragm. Atrei. Comprimere motus Liv. 1. 60.

17. XVII. — 'Ira atque fero férvere igni, insígnibus Florére. —

XVII. Non. p. 503. 20. *Fervit pro fervet - - Ab eo quod est fervit breviato accentu fervere facit, ut spernit spernere. - - Accius Telefo: rere atque ferro fervet igni insignibus Florere (fervere igni* 1526 IM. — *flore* W.*)* Haec cum sensu careant, Bothius ita legenda putavit: *aere a. f. fervere, igni, ins. F.* et in notis *inque* pro *igni.* Alii aliter. Ad nostram coniecturam cf.: Cor ira fervit. Attius in fragm. Meleagri — Exarsere ignes animo: subit ira cadentem Ulcisci patriam. Virg. Ae. 2. 575. — Convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem. Gell. 5. 5. Pendet autem *insignibus florere* ab antecedenti: (animus) *fero igni fervit.*

II. Ilias.

PRAEMONITUM.

Sunt qui censuerint, Attium universam Homeri Iliadem in fabulas scenicas convertisse. Nieberdingius libellum edidit: Ilias Homeri ab L. Attio in dramata conversa. Progr. Conitz. 1838 ed. Iunker, in quo demonstrare conatus est, tragoediarum Attianarum nomina et fragmenta huic sententiae accommodari posse. Sed abhorret a verisimilitudine, siquidem fragmenta recte intellexerimus indeque argumenta probabiliter investigaverimus. — Persius sat. 1. 30: *non heic est Ilias Acci?* Qui locus ne de nostro intelligatur, scholiastae annotationem adscribo: *Accius Labeo*, ait, *poëta indoctus fuit, qui Iliadem Homeri versibus foedissime composuit, ita ut nec ipse poëta intellexisset, nisi helleboro purgaretur.* Idem ad eandem sat. v. 4: *Labeonem, quia Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus est. Eius est ille versus:*

Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos.

Iahnio tota haec notitia valde incerta videtur, quum scholiasta admodum suspectae fidei sit. Heinrichius ad Pers. p. 87 Accium quendam Persii aequalem h. l. intelligendum esse coniicit.

Deinde nonnulli (praecipue Schoellius) tragoediis Attii Briseidem addendam esse opinati sunt. Pers. enim sat. 1. 76:

Est nunc Brisaei quem venosus liber Atti
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa.

ubi nonnulli restituendum putaverunt: *Briseïs*. Sed sine dubio recte Scholiastes: *Briseum Accium ideo dixit, quia poëtae in Liberi patris tutela esse noscuntur.* Disserit idem dein de vi Bacchi cognominis Brisaei (al. *Brysaei, Brisei, Brysei*) Cf. Iahn. et Heinrich. ad h. l. Welckeri tr. Gr. p. 1394. Stahlberg. p. 20 sq.

I. MYRMIDONES sive ACHILLES.

Cf. Nieberding. l. c. II. Düntzer. in Zimmermanni Zeitschrift f. Alt. W. 1839 pg. 412 sq. Hermanni opp. 5. p. 136 sq. Schöll Beiträge 1 p. 314 sq.

Composuerat Myrmidones Aeschylus, quorum argumentum e fragmentis Attii investigandum opinatus est Hermannus, hoc praecipue contendens, Aeschyli trilogiam: Myrmidones, Nereides, Phryges expressisse Attium Hectoris lytris. Est coniectura admodum probabilis et in universum ei adstipulamur, quamvis Nereïdum Aeschyli auctoritatem perexiguam esse, quum eodem iure non diversa ab eiusdem armorum iudicio habeatur, nos non fugiat. Schoellio, qui ut antea Düntzerus Myrmidones et Achillem et Epinausimachen tria nomina eiusdem fabulae esse iudicat, quominus assentiamur hoc praecipue impedit — ne dicam de fragmentis et Aeschyli fabulis — quod multo maior videtur argumenti copia, quam quae una tragoedia comprehensa fuerit. Sed omnibus Schöllii de hac re sententiis respondere hic longum est, quamvis non videtur ita difficile. Nieberdingius, qui Hermanni commentationem non noverit, solam legationem argumentum Myrmidonibus praebuisse contendere videtur, cui nemo assentietur. Ita potius res sese habere videtur. Initium habebant a legatione Graecorum ad Achillem, qui ira propter ereptam Briseidem adversus duces agitatus auxilium suum exercitui detraxe-

rat; finis autem tragoediae imponebatur morte Patrocli et Achillis post luctum vehementi armorum requisitione. Quod argumentum quum ex Homeri Iliade sit notissimum, accuratius hic enarrare nolimus. Scenam ap. Cic. Tusc. 2. 16. 38 inter Eurypylum et Patroclum Hermannum perperam huc traxisse, in excursu demonstrabimus.

Fragmenta Attii, quae ex Myrmidonibus supersunt, omnia fere procul dubio ex Achillis et legatorum orationibus deprompta sunt. Apud Homerum Aiax, Phoenix et Ulixes delegantur ad Achillem placandum; Attius Antilochum quoque Nestoris filium, qui Achilli fuit carissimus, legatum induxit. Credibile est, Phoenicem etiam in legatis fuisse; Aiacem fr. IX mihi indicare videtur; sed num Ulixes affuerit, dubium est; vix tamen credideris, quatuor fuisse legatos. Scenam ad Achillis tentorium fuisse et chorum e Myrmidonibus constitisse vix verbo monuerim necesse est. Achillem, quod nomen quam apte huic tragoediae conveniat nemo non videt, quum pauca eius fragmenta (tria) omnino huc facere videantur, eandem fabulam putamus.

Aeschyli et Attii Myrmidones initium cepisse a carmine chori, qui Achillis incuriam vituperarit, certum non habuerim, quum Aesch. fr. 122 et 125 (Dind.) optime a legatis dici potuerint. Inveniunt apud Homerum legati Achillem ante tentorium *φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ*. Primum verba fecisse Antilochum verisimile est. Monuerit, Achillis inimicos persuasuros esse exercitui, ignavia eum retineri; hanc criminationem reditu in aciem repellendam esse hortatur:

18. I. Qua ré ália ex crímine ínimicorum effúgere pos-
sis délica.

I. Non. p. 98. 5. *Delica*, *explana*, *indica*. *Accius Achille: q. r. aliae e. c. i. eff. p. del.* (*alia* edd. — *ex* om. M.) Id. p. 277. 29. *Delica est aperi et explana - - Accius in Achille:* —— (*alias* B. —

Bono viro non convenire pertinacia uti:

19. II. Ne túm cum fervat péctus iracúndia.

Cui respondet Achilles:

20. III. Tu pértinaciam ésse Antiloche hanc praédicas
Ego pérvicaciam aío et ea me utí volo
Nam pérvicacem díci me esse et víncier
Perfácile patior; pértinacem níl moror.
Haec fórtis sequitur, íllam indocti póssident.
Tu addís quod vitio est, démis quod laudí datur.

Caussas addit cur Graecos reliquerit:

21. IV. Mea fácta in acie oblíti. —

Ap. Hom. Il. 9. 316:

— ἐπεὶ οὐκ ἄρα τις χάρις ἦεν
μάρνασθαι δηίοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσι νωλεμὲς αἰεί.

Minatur domum se esse navigaturum:

22. V. — Classis trahere ín salum
Et véla ventorum ánimae immitteré. —

---

alio ex orimine b.) Crimen, criminatio. Cf.: Hi quum c r i m i n i b u s adversariorum omnes in invidiam venissent. Nep. Epam. 7. 4. Graece: αἰτίαν φεύγειν Soph. Phil. 1404.

II. Non. p. 504. 27. *Fervat pro ferveat - - Accius Acille: n. t. c. f. p. iracundiae* (*iracundia* 1526 IM.)

III. Non. p. 433. 2. *Pervicacia et pertinacia hoc distant: pervicacia est interdum bonarum rerum perseverantia, pertinacia semper malarum. Accius Myrmidonibus: t. p. e. Anthilochae h. p.? E. p. ai et a me uti v.: N. p. dicis me esse et vincere* —— (*Antiloce* princ. — *Archiloche* rell. edd. — *ai et* om. ante A. — *aio et* AIM. — *dicimus* 1526 — *nihil* L ante I — *an addis* princ.) Cf.: Unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, ut audacia, quae fidentiae, p e r t i n a c i a, quae perseverantiae finitima est. Cic. Inv. 2. 54. — Ergo negatum, v i n c o r, ut credam miser. Hor. Epod. 17. 27. Alii coniecerunt: *dicas me, dico me, id vincere.*

IV. Non. p. 501. 33. *Accusativus pro genitivo. Accius Myrmidonibus: mea fata i. a. o.* Emendavi ex Homero.

V. Non. p. 234. 8. *Anima est secundum consuetudinem spiritus quovivimus - - Anima ventus - - Accius Myrmidonibis: lassis t.* ——

Cf. Il. 9. 356 sq. Postremo petit ab Antilocho, ut precibus non amplius molestus sibi fiat. Ille respondet:

23. VI. Nolo équidem; sed tu huic, quém scis, quali in té siet
Fidélitate, ob fídam naturám viri
Ignósce. —

His verbis inducitur Phoenix, cui tribuerim:

24. VII. 'Iram infrenes, óbstes animis, réprimas confidéntiam.

Et ex incertis Attii:

25. VIII. — Nam núllum est ingeniúm tantum neque tám ferum
Cór, quod non labáscatur linguá vel mitescát malo.

Idem enim apud Homerum Il. 9. 496 sq.

ἀλλ᾽, Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν, οὐδέ τί σε χρὴ
νηλεὲς ἦτορ ἔχειν, στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί κ.τ.λ.

De responso consule Homerum. Aiacem puto ultimum, ut illic, locutum esse. Nam ad Antilochum adolescentem non bene dicere Achilles poterat:

Herm. totum locum mutavit, quo non egemus. — Classes, naves. Cf. Virg. Aen. 2. 30. — Fortasse Attii manus fuit *frena* pro *vela*.

VI. Non. p. 109. 31. *Fidelitatem, id est, fidem. Accius Myrmidonibus*: —— *sit* ——. *Siet* scripsi cum Bothio metri causa.

VII. Non. p. 262. 15. *Confidentia est fiducia - - Confidentia rursum temeritas audacia - - Accius in Myrmidonibus*: *iram infrenis, o. a., r. c.* (*infrenes* mg I. M. — *iram includant, frenis obstent, a. reprimant* ms. Fabri.) Cf. etiam Il. 9. 225.

VIII. Non. 473. 7. *Labascor pro lavo* (lg. *labo.*) *Accius*: *non nullum est ingenium tantum, neque cor tam ferum, Quod n. l. lingua mitiscat m.* (*non* om. L. AIM. — *nam nullum* 1480 — *non ullum* princ.) Scriv. Voss. Both. contra Nonium et libros emendarunt *labascat* metri causa. Labascor prisce, invenitur etiam ap. Varronem.

26. IX. Quódsi ut decuit stáres mecum aut meús te moertarét dolor
'Iam diu inflammárier re náves vidissént suas.

Cum quibus facile coniunguntur:

27. X. 'Ego me non peccásse plane osténdam aut poenas súfferam.

Ubi Achilles nullo modo flecti potest, irascitur Aiax:

28. XI. Tua honéstitudo Dánaos decepit diu.

Rebus Graecorum magis etiam in discrimen adductis statui par est cum Hermanno, nuncium aliquem venisse, qui de iis exponeret. Fuit fortasse Eurypylus (Il. 11. 580 sq.) Gaudet Achilles, quod Atridae succumbunt:

29. XII. — An scéptra iam flaccént? Ferat!

Nam Agamemno insuper est vulneratus (Il. 11. 233.) Ubi periculum accrevit, Patrocli tandem et Myrmidonum, qui diu iam certaminis cupidissimi erant (Il. 16. 203 sq.), precibus Achilles cedit. Eius ad amicum de Myrmidonibus, qui Patroclum iam nunc malebant ducem habere quam Achillem pertinacem, verba habemus:

IV. Non. p. 137. 33. *Mertaret pro merentem faceret. Accius Myrmidonibus: quod sic ut decuit istares mecum aut meus mertararet dolor I. d. inflammari et re navis v. s.* (*moeraret* ante A — *histares* compuncto *h* L. — *moeraret* ante A.) Corruptelam hic esse idem Non. demonstrat p. 139. 2: *Mertaret mergeret.* e et ae saepe a librariis confunduntur; hic quoque scribendum *maert.* vel *moert.*, ut sit derivatum frequentativum a supino maeritum. *Moeraret* quod Forcell. habet, analogia caret.

X. Non. p. 396. 31. *Sufferre est sustinere - - Accius Myrmidonibus: ——*

XI. Non. p. 120. 33. *Honestitudo pro honestas. Accius - - Idem Myrmidonibus: t. h. D. decipit diu.* (*pro honestitas* W. ante A.) Mirum correxisse nonnullos *honestudo*, quasi duceretur ab honestate et non ab honesto, ut multitudo a multo cett.

XII. Non. p. 110. 12. *Flaccet languet deficit - - Accius Achille: An sceptra iam flacent? F.* (*iam flaccent* edd.) Cf.: Sin flaccebunt conditiones, repudiato et reddito. Enn. ap. Non. 110. 14.

30. **XIII.** Régnum tibi permítti malunt? Cérnant, tradam exércitus.

Hucusque nostri fragmenta nos perduxerunt. Ex Aeschyleis autem fragmentis fabulam ita processisse colligimus: Patroclus Achillis armis indutus adversus Troianos mittitur et quum impetu certaminis oblitus amici adhortationis propius ad Troiae muros accesserit, occiditur. Eius mortem nuntiatum venit Antilochus (Il. 18 in.) Qua audita Achilles vehementissimos luctus tollit, quorum nonnulla habemus vestigia in Aeschyli fragmentis. Ad hanc Myrmidonum partem referenda esse cum aliis puto Ovidii verba Trist. 2. 409:

Est in obscoenos deflexa tragoedia risus
Multaque praeteriti verba pudoris habet.

Nam Plato Sympos. p. 180: *Αἰσχύλος δὲ φλυαρεῖ φάσκων Ἀχιλλέα Πατρόκλου ἐρᾶν.* Fortasse Achillis sunt lugentis verba:

31. XIV. Videó sepulcra dúo duorum córporum.

Qui ita loquitur ap. Homerum Il. 18. 329:

ἄμφω γὰρ πέπρωται ὁμοίην γαῖαν ἐρεῦσαι
αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ.

Ubi inermem se sentit, exclamat (fr. Aesch. 133. Dind.):

ὅπλων ὅπλων δεῖ,

quae a Thetide in profundo maris audiuntur. Quod Hermanno verisimile visum est, in extrema fabula eam

---

XIII. Non. p. 261. 23. *Cernere significat videre - - Cernere rursum cedere unde et cernere hereditatem filii patribus, id est, cedere dicti sunt. Accius Myrmidonibus: —— Cernam t. e. (malim* mg I. — *exercitum* AI.) Cf.: C r e v i valet constitui, itaque heres quom constituit se heredem esse dicitur c e r n e r e et quom id fecit c r e v i s s e. Varro L. L. 7. 5. 99. Inde legendum putavi *cernant* et bene Mercerum in Nonio emendasse puto *succedere* pro *cedere.* Sensus: Maluntne te illi (Myrmid.) rectorem? Dicant, habeant te (adeant hereditatem), ego enim tibi regnum tradam. Exercitus est genitivus et pendet a vocabulo *regnum* quod praecedit.

XIV. Cic. Orat. 46. 156. Sine tragoediae nomine affertur.

apparuisse, ut se arma allaturam promitteret, id nos Attii fragmenta diligenter cum enarratione Iliadis componentes ad Epinausimachen referendum censuimus.

EXCURSUS I.

Cic. Orat. 46. 155.: *Itaque idem poëta, qui inusitatius contraxerat:*

Patris mei meum factum pudet,

pro meorum factorum et

Texitur: exitium rapit,

pro exitiorum —

Verba haec, quae exempli causa affert Cicero, ex versibus desumpta sunt qui de divin. 1. 31. 66 et 67 laudantur. Quos esse Ennianos demonstrabimus in excursu II. Pergit Cicero: *non dicit liberum ut plerique loquimur cum cupidos liberum aut in liberum loco dicimus: sed ut isti volunt:*

Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum
ex te genus.

(Versus est Ennii ex Medea. Cf. Eurip. Med. 803 sq.) *Et idem:*

Namque Aesculapi liberorum.

At ille alter (Pacuv.) *in Chryse* cett.

Ergo verba: *namque Aesc. lib.* Enniana sunt. Ex quo colligatur necesse est, universam illam scenam, quae apud Cic. Tusc. 2. 16. 38 (Bothii fr. inc. 9. 10. 11. 12.) servata est, quum inde deprompta sint verba a Cicerone l. supra c. allata, Ennio adiudicandam esse. Falso igitur Hermannus eam Attii Myrmidonibus intexuit, sed magis etiam perperam Orellius et Bothius praeeunte Delrione eam ad Epinausimachen retulerunt, cuius ne argumento quidem versus conveniunt. Sunt illi versus

procul dubio fragmentis Achillis Aristarchi, quem Ennius expressit, addendi, de cuius argumento Schol. Gronov. ad Cic. pro Rosc. Amer. 39. 90 (p. 434 Orell.) haec servavit: *In Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseïdem pugnare noluit, quo tempore etiam Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulixes vulneratur inducitus et fugiens ad Achillem venit. Quum interrogaretur ab Aiace, cur fugisset, ille ut celaret dedecus suum: Quis enim* (lege: *Quis ibi non* coll. Cic. p. Rosc. Am. l. c.) *vulneratus ferro Frugio?* Sed de his accuratius disserere nunc nobis non licet.

II. EPINAUSIMACHE.

Cf. Nieberding., Düntzer., Herm., Schöll. ll. cc.

Solus Attius fabulam edidit ita nominatam; apud Graecorum tragicos poëtas hanc tragoediae appellationem nusquam invenimus. Sed decimae tertiae Iliadis rhapsodiae grammatici inscripserunt: *μάχη ἐπὶ ταῖς ναυσίν.* Ex hac vero Attium non hausisse argumentum Epinausimachae fragmentis apparet. Nam fr. XV ostendit, cladem illam Troianorum apud Scamandrum tragoediae fini antecessisse. Haec longe post pugnam ad naves, quae vulgo maxime hoc nomen prae se tulisse videtur, facta est, ut eadem fabula duo haec certamina continere non potuerit. Quaerenda est igitur alia epinausimache. Hanc esse pugnam illam inter Graecos et Troianos, qua Achillis manu Hector cedidit et cuius illa *μάχη παραποτάμιος* pars est, ex ipso Homero cognoscimus. Pugnare enim dicit Troianos, quum post Achillis secessionem urbe exierint (Il. 18. 256) *ἐν πεδίῳ παρὰ νηυσίν.* Postqnam iterum in Graecis conspectus est, Polydamas Troianis suadet ut in urbem sese recipiant, sed Hector vehementer ei repugnat (Il. 18. 303):

πρῶϊ δ' ὑπηοῖοι σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα.

Et poëta ante initium certaminis dicit (Il. 20. 1.):

Ὣς οἱ μὲν παρὰ νηυσὶ κορωνίσι θωρήσσοντο
ἀμφὶ σέ, Πηλέος υἱέ, μάχης ἀκόρητον, Ἀχαιοί.

Ubi Myrmidonum argumento terminum constituendum opinati sumus, incipit Epinausimache. Thetis, quae Achillis exclamationes, quas nunciata morte Patrocli edidit, audivit, statim adest cum Nereidibus ut luctuum causam experiatur. Non curat Attius, apud Homerum noctem inter prius et alterum Thetidis cum filio colloquium interiectam esse, siquidem fragmentorum comparatio cum Iliadis verbis ostendit, tragoediam a priore aggressu matris ad Achillem initium habuisse. Chorus fuit Nereidum, si recte Hermannus Attium Aeschyli Nereides ante oculos habuisse statuit.

Achilles ita est ultionis cupidus, ut statim in pugnam irruere velit; Patroclum enim (Il. 18. 81.),

— τὸν ἐγὼ περὶ πάντων τῖον ἑταίρων
ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ· τὸν ἀπώλεσα.

Attius:

2. I. Mórs amici súbigit quod mi est sénium multo
acérrimum.

Deinde Achilles apud Homerum (Il. 18. 114.):

νῦν εἶμ' ὄφρα φίλης κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω
Ἕκτορα·

Ad quae Thetis respondisse videtur:

3. II. Quodsí procedit néque te neque quemquam árbitror
Tuae poéniturum laúdis, quam ut servés vide.

I. Non. p. 2. 22. *Senium est taedium et odium - - Accius Epinausimache*: —— *taedium m. a.* (*subicit* L. m. 1. — *quae mihi* M.) Both. male *quae*.

II. Non. p. 158. 3. *Poeniturum, Accius Epinausimace*: ——

34. III. (Et) Cóntra, quantum obfúeris si victús sies,
Consídera et quo révoces summam exérciti.

Sed Achilles non flectitur (Il. 18. 128): *οὐδέ με πείσεις.* Rursus Thetis (Il. 18. 128):

ναὶ δὴ ταῦτά γε, τέκνον, ἐτήτυμον· οὐ κακόν ἐστιν
τειρομένοις ἑτάροισιν ἀμυνέμεν αἰπὺν ὄλεθρον·
ἀλλά —

Quorum vim ita exprimere poterat Attius: Optime sentis, fili; nam pravus est ille vir, qui nec amicitiae vinculis tenetur

35. IV. Nec pérdolescit flígi socios, mórte campos contegi.

36. V. Tamen haúd fatiscar, quín tuam implorém fidem. —

Thetis Homerica (Il. 18. 130.):

ἀλλά τοι ἔντεα καλὰ μετὰ Τρώεσσιν ἔχονται.

Ad quae Achilles:

37. VI. Ut núnc, cum animatus íero, sum armatús satis.

Thetis: Sane Patrocli mors adigit te ut vindictam sumas; ira vero tua, quae te adductura est ut hoc ipso

---

III. Non. p. 485. 14. *Exerciti vel exercituis pro exercitus. Accius - - Idem Epinausimace:* —— (*obsuris* W. 1480.) *Quo*, scil. ad interitum. Cf.: Revocare se ad moestitiam Cic. Tusc. 3. 27. — Vater. ad Eurip. Rhesum plane responderc ait his versibus ex Rheso versus 115 sq., quod nemo ei credet.

IV. Non. p. 110. 30. *Fligi affligi - - Accius Epinausimachae: nec perdoliscit f. s. m. c. contigi.* (*perdolescit* edd. — *contegi* IM. — *contingi* ante I.)

V. Non. p. 307. 9. *Fatiscere est aperire, rursus deficere. Accius Epinausimace: tamen aut f. qui t. i. f.* (*haud* Vulg. — *ante* AI. — *haud fatiscar quia* mg I.) Id. p. 479. 10. *Fatiscuntur pro fatiscunt. Accius Epinausimace, t. aut fatiscam, quin t. inpl. f.* (*haud* [*haut*] *fatiscar* 1526 IM.)

VI. Non. p. 233. 17. *Anima est secundum consuetudinem spiritus quo vivimus - - Anima iterum significat iracundum vel furi-*

tempore vel inermis in pugnam irruas, ab ultione te prohibebit, quia certam mortem oppetes. Vide igitur cui (Patroclo ulciscendo) non qui (ut iratissimus) rem sis acturus:

38. VII. Proin tu íd, cui fiat, nón qui facias, cómpara.

Noli agere sine consilio, ut mali faciunt; sed considerate. Nam melius est

39. VIII. Probís probatum pótius quam multís fore.

Ita precibus denique movetur ut eo usque se retineat, donec mater arma attulerit. Haec dum ad Olympum arma a Vulcano petitum it, Achilli nuntiatur, Troianos in eo esse ut Danais Patrocli corpus eripiant. Apud Homerum inermis iussu Iunonis ad fossam prodit et clamore Troianos terret et coërcet. Nam (Il. 18. 205.)

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
χρύσεον, ἐκ δ᾽αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.

Ex hoc loco fluxisse puto fragmentum perobscurum:

40. IX. (Ut sí) lucifera lámpade exurát Iovis
Aríetem —

ut sensus hic fere fuerit: Ut Iuppiter arietem exurendo per solem hiemem repellit, ita Achilles illa flamma, quae ex aurea nube circa eius caput undique

---

osum unde et animosi dicuntur iracundi. Accius - - Idem Epinausimache: — *satis arm. sum.*

VII. Non. p. 257. 6. *Comparare iterum aestimare. Accius Epinausimache*: ——

VIII. Non. p. 519 8. *Veterum memorabilis scientia paucorum numerum pro bonis ponebat, multos contra malos appellabant - - Accius - - Idem Epinausimache*: —— *forem* (*fore* 1480 A.) Non male Lipsius: *paucis probatus p. q. m. forem.*

IX. Prisc. 6. 7. 39. *Nam Iovis nominativo quoque casu reperitur. - - Attius in Epinausimache*: —— Schöllius recte refutat Hermanni *abietem*. Nam ubi aries non amplius in coelo conspicitur, ver est. Cf. Ov. Fast. 4. 901. (coll. 3. 852. Hygin. Astr. 2. 20) — *Iovis* est coeli regnator. Cf. Enn. ap. Cic. Nat. deor. 2. 25. — *Lucifera lampas* est Sol. Cf. Virg. Aen. 7. 148.

lucebat, repulit hostes. Fortasse nunc Patrocli corpus in scenam apportabatur, apud quod Thetis eum in Iliade (19. 1 sq.) invenit. Loquitur aliquis de equorum Achillis tristitia (Il. 17. 426.):

41. X. Item ád moestitiam mútam infantum quádrupedum.

Hic locum fuisse crediderim conciliandarum inter Achillem et Agamemnonem inimicitiarum (Il. 19. 55 sq.). Dein ille ira vehementer concitatus Troianis maledicit, suis autem victoriam promittit; se enim vivere, se odio acerbissimo adversus illos ardere:

42. XI. An haéc iam obliti súnt Phryges?

Achilles a matre reversa denique armatus adversus hostes proficiscitur. Ad nuncii de eius fortitudine orationem facile trahuntur:

43. XII. Incúrsio ita erat ácris —

44. XIII. Ab clásse ad urbem téndunt neque quisquám potest
Fulgéntium armum armátus ardorem óbtui.

De certamine inter Achillem et Hectorem (Il. 22. 306 sq.):

45. XIV. — Mártes armis dúo congressos créderes.

X. Non. p. 9. 26. *Mutus onomatopoeia est incertae vocis, quasi mugitus; nam mutus sonus est proprie qui intellectum non habet. - - Accius Epinausimache: ι. a. m. mutuam infantium q.* (*item ac* m.)

XI. Rufini comment. in metra Terentiana p. 2707, 33. *Varro in VII: Clausulas quoque appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium:* ——

XII. Charis. 1. p. 93.

XIII. Non. p. 495. 21. *Accusativus numero singularis positus pro genitivo plurali - - Accius - - Idem Epinausimace:* —— *armorum armat. ard. obt.* (*armum armatus* 1526 IM.) De splendore armorum Achillis habet Homer. Il. 19. 14: Μυρμιδόνας δ᾽ ἄρα πάντας ἕλε τρόμος, οὐδέ τις ἔτλη — ἄντην εἰσιδέειν, ἀλλ᾽ ἔτρεσαν.

XIV. Charis. 1. p. 101. *Duo, hos duo. Accius in Epinausimache:* ——

Hostibus fugatis, Hectore necato redit Achilles cum eius corpore. Gloriantem audimus:

46. XV. (Én) Scamandriam úndam salso sánctam obtexui sánguine
'Atque acervos álto in amni córpore explevi hóstico.

Ad inimici corpus cruore et pulvere inquinatum versus acerbissime cavillatur mortuum:

47. XVI. Ubi núnc terricula túa sunt? —

Illius qui (Il. 7. 67 sq.)

48. XVII. Primóres procerum révocavit, num nón ibi
Essét quis, qui armis sécum vellet cérnere.

Ne quid praetermittatur, locum corruptissimum et insanabilem subiungimus:

49. XVIII. Eos mortalis foenis lib X. miseror saepe studitos volo.

XV. Non. p. 192. 2. *Amnem masculino genere appellamus. - - Feminino Plautus* (Merc. 5. 2. 18.) - - *Accius Epinausimache: umandriam und. s. s. obtexus s. A. acerbos a. i. omni c. e. h.* (*cum Andriam* mg I. — *obtexui* M. — *acervos* ms. Fabri — *in amni* edd.) Alii coniecerunt *obtexi*. Sed similem quodammodo locum habet Virgilius: Coelumque obtexitur umbra. Ae. 11. 610.

XVI. Non. p. 227. 30. *Terriculae generis feminini. Neutri Accius Epinausimace: u. n. terr. ta sunt?* (*terricula cita sunt* AI.) Poseidon (Il. 13. 219) ad Idomeneum: ποῦ τοι ἀπειλαὶ οἴχονται.

XVII. Non. p. 261. 16. *Cernere significat videre - - Cernere rursum dimicare vel contendere. Accius Epinausimache: primores procertum revocarit nomina, nisi Esset quisque a. s. v. c. revocarent* M.

XVIII. Non. p. 499. 33. *Accusativus pro genitivo - - Accius - - Idem Epinausimace:* —— (*libro decimo* A. — *misereor* 1526 I.) Coniecturas quidem fecerunt viri docti, sed verisimilitudinem ne minimam quidem sunt assecuti. Locum divinatione sanari non posse nobis persuasum habemus. Idem iudicat Hermannus, fragmentum mutilatum esse censens.

III. HECTORIS REDEMPTIO.

Attium composuisse tragoediam, cui idem fuerit argumentum atque Aeschyli Phrygibus — hi enim cum Priamo Hectoris redimendi causa in Achillis tentorium venerant — et Sophoclis (Enniique) Hectoris lytris, coniectura est Nieberdingii et Hermanni ex hoc versu:

50. 'Immo enimvero córpus Priamo réddidi Hectorem ábstuli. *)

Potuit enim Achilles haec verba non dicere nisi corpus Hectoris iam reddiderat, quare neque in praecedentibus tragoediis neque in Nyctegresia locum inveniunt.

IV. NYCTEGRESIA.

Cf. Euripidis Rhesus ed. Vater. Berol. 1837 (Vindiciae p. XIII sq.) Düntzer in Zimmerm. Zeitschrift 1839 p. 417 sq. Welcker. ib. 1837 p. 630.; Tr. Gr. p. 1101 sq. Nieberding. l. c. p. 9 — 11. Schöll. l. c. p. 449 — 67.

Scriptor argum. Eurip. Rhesi: *Ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν Τροίᾳ. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ φυλάκων Τρωικῶν, οἳ καὶ προλογίζουσι — περιέχει δὲ νυκτεγερσίαν.* Addidit hoc grammaticus, quia liber decimus Iliadis, ex quo argumentum Rhesi desumptum est, inscriptionem prae se fert *νυκτεγερσίαν καὶ Δολωνοφονίαν ἢ Δολώνειαν.* Ex eadem rhapsodia hausit Attius sed extra dubium positum est, Euripidis Rhesum eum non expressisse. Nam

---

*) Cic. Tusc. 1. 44. 105. *Melius Accius et aliquando sapiens Achilles: —— Non igitur Hectora traxisti sed corpus, quod fuerat Hectoris.* — *Melius* quam Ennius; cuius paullo ante de eadem re versus attulit Cicero (vide excurs. III.); quare dubitari nequit quin recte legatur *Accius.*

primum fragmenta aperte ostendunt, scenam fuisse non in castris Troianis, sed in concione Graecorum, qua re universa fabulae oeconomia penitus mutatur. Sed hoc contendunt viri docti, locum commutatum esse intra tragoediam ita ut prior pars apud Graecos, altera vero ut in fabula Euripidea apud Troianos acta sit. Sed haec coniectura nullam habet verisimilitudinem. Quamvis enim nesciamus, quousque Romanorum poëtae choris sint usi, tamen hoc statuendum ex fragmentis iudico, choros ab iis Graeco more adhibitos esse, mutatis scilicet in carminibus mutandis quae Latinae linguae vel arti metricae non conveniebant. Iam vero nunquam scena mutatur, ut ipse Vater l. c. p. XXXIII perhibet, nisi ubi idem manet chorus ut in Aiace Sophocleo et Eumenidibus Aeschyli. Ulixes autem et Diomedes, qui in castra Troiana speculatum ibant, chorum Graecorum adducere non poterant, id quod per se clarum est. Deinde fragmenta, quae ad confirmandam illam sententiam a Vatero aliisque afferuntur: IV. VIII. XII. XIII., quum explicari non possint nisi in castris Troianorum pronunciata, minime nobis repugnant, immo potius favere videntur dummodo consulueris Homerum. Quae vero idem Vaterus cum versibus Euripideis composuit, nullius sunt momenti; nam ut taceam, comparationem nimis longe arcessitam esse, quis negaverit permulta etiam tum, si in concione Graecorum res agebatur, cum Euripidea fabulae adornatione congruere debuisse, quum eodem modo ut apud Troianos Dolon, apud Graecos Ulixes et Diomedes speculatores delegarentur.

Sin ita res sese habet, ut scena usque ad finem eadem remanserit, illico vides, Attii fabulam Rhesum appellari non potuisse, quum de Rhesi rebus expositum sit tantummodo; vice versa vix concesserim, Euripidis Rhesum Nyctegresiam apte appellari potuisse. Videtur enim non ita Troianorum concio, quam Danaorum consilium Nyctegersiae nomine appellatum fuisse. Nam hoc

Homerus et multo copiosius enarrat, et antecedit etiam nocturna ducum e somno exsuscitatio, quae proprie voce νυκτεγερσία a Graecis significari debebat. Attii vero argumento nomen aptissimum inditum est. Welckerus, ne nostrae tragoediae exemplum desit, duos extitisse perhibet Athenis Rhesos, quorum alter adhuc superstes falso Euripidi vindicetur; genuinus vero Euripidis deperditus ea tragoedia fuerit, quam imitatus sit Attius. Cui nos adstipulari non posse apertum est; sed videtur Latinus poëta potius *aliquid inexpertum scenae commisisse* (Hor. A. P. 125), ut hic quoque valeat illud Horatianum (A. P. 285):

Nil intentatum nostri liquere poëtae,
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere cett.

Scenam concilii nocturni Homerus ostendit. A custodibus inter fossam et vallum collocatis (Il. 9. 67), quo Agamemnon duces convenire iusserat (Il. 10. 127), Nestore duce vallum transgressi in loco a mortuis vacuo (Il. 10. 198 sq.) consident atque consilium ineunt. Credibile est Attium deliberationem illam, qua Agamemno plane desperans de victoria fugam suadet, quamvis apud epicum poëtam antecedat (Il. 9. in.), huc attulisse. Hoc quam apte fieri potuerit, quum nunc Agamemnoni etiam illud accedat, quod Achilles implacabilis legatos dimiserit, manifestum est. Surgit igitur primus Ἀγαμέμνων δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος (Il. 9. 14) et alloquitur principes:

51 I. Cuius vós tumulti caúsa accierim et quíd parem,
Advórtite. —

Deinde desperationem suam describit:

I. Non. p. 484. 6 *Tumulti pro tumultus - - Accius - - Idem Nectegresia: c. v. t. c. a.: et quid parum divorti*? (*accierimeo quid* W. — *acie timeo quid* 1480 A. I. — *accierim et quid* L. — *quod parum* 1480 M.) Coniectura est Stephani. Cf.: Paucis, adverte, docebo. Virg. Ae. 4. 115.

52. II. Scindéns dolore idéntidem intonsám comam.

Quae verba respondent Homericis (Il. 10. 15.):

> πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας
> ὑψόθ' ἐόντι Διΐ· μέγα δ' ἔστενε κυδάλιμον κῆρ.

Hoc sibi optimum videri ait, ut fuga salutem quaerant, ne Hector re vera faciat quod minatus sit (Il. 9. 241):

> στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα
> αὐτάς τ' ἐμπρήσειν μαλεροῦ πυρός.

Apud Attium Agamemnon: Video, ait, ut

53. III. Classís aditur, clúditur fervít. —

54. IV. — Scandit aúra laterum téxta Volcaní vorax.

Quae Diomedes responderit vide apud Homerum (Il. 9. 33 sq.) Cui obloquitur Agamemno:

55. V. Tún' quod superest sócium mittis léto? An lucti poénitet?

Surgens deinde Nestor (Il. 9. 52 sq.) laudat Diomedis orationem; Agamemnonem vero alio adhortatur consilio:

56. VI. Iubé nunc attemptáre iube nunc ánimo ruspari Phrygas.

II. Cic. Tusc. 3. 26. 62. *Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi - - Hinc ille Agamemnon Homericus et idem Attianus:* — —

III. Non. p. 503. 2. *Fervit pro fervet - - Accius Nyctegresia: classis adito cluditur fervit.* (*adit claditur* L. — *addito clauditur* 1480 — *adit clauditur* A. I.)

IV. Non. p. 227. 27. *Textus masculini est generis. Neutri - - Accius Nyctegresia: scendit hora l. t. V. v.* (*ascendit* mg I. — *vulgani* W.). *Auva Vulcani* est splendor ignis. Cf.: Discolor unde auri per ramos aura refulsit (splendor auri. Serv.) Virg. Ae. 6. 204. — *Laterum* sc. navis. — *Texta* fortasse de copulis et rudentibus. — Cf.: Scandit aeratas vitiosa naves cura. Hor. Carm. 2. 16. 21.

V. Non. p. 486. 2. *Lucti pro luctus, Accius - - Idem Nyctegresia: tunc q. s. m. l. an l. paenitet?* (*Nyptegressia* W. — *tum quid* 1480 — *laeto* L. — *poenitet* W.)

VI. Non. p. 166. 18. *Ruspari est scrutari. Accius Nycteresia: iuve nunc adtemptare iuve nunc animo ruspari Frygas iube - -* (*iube*

Idoneum esse ut Graecorum unus circa castra hostium speculator eat (Il. 10. 206):

— εἴ τινά που δηΐων ἕλοι ἐσχατόωντα.

57. VII. — Unde omnía perdisci ac pércipi
Queúntur. —

Statim Diomedes paratum ad laborem hunc suscipiendum se offert (Il. 10. 220). Cui respondet Nestor vel Agamemnon:

58. VIII. Id quód facis gratum ét grave est —

Socium sibi eligit Diomedes (Il. 10. 243.)

πῶς ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην
οὗ πέρι μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
ἐν πάντεσσι πόνοισι, φιλεῖ δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη;

59. IX. 'An ego Ulixem oblivíscar unquam aut quémquam praeponí velim?

60. X. — Múlta inventa expertaque ex hoc súnt bona.

Firmissime asseverat, se socio in periculis non defuturum esse:

61. XI. — Aut ego íllum eripiam aut ílli poenam súfferam.

Idem sensus latet in Homeri verbis (Il. 10. 246):

τούτου γ᾽ ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
ἄμφω νοστήσαιμεν, —

1526 I. M. — *Tune - - tune* A.). *Animo*, animose. — Accusativus, quem illud *iube* postulat, erat in praecedenti vel sequenti versu.

VII. Diomedes 1. p. 380. Sine nomine tragoediae.

VIII. Non. p. 315. 20. *Grave gravidum - - Grave solidum et firmum. Accius - - Idem Nyctegresia:* —— (*yctegresia* B. — *et utile est* B.)

IX. Non, p. 500. 5. *Accusativus pro genetivo. Accius - - In Nectegresia:* ——

X. Prisc. 8. 4. 20. *Experta passive. Attius:* ——

XI. Non. p. 397. 4. *Suffere est sustinere - - Suffere significat dedere* (?) *vel supponere - - Accius Nyptegressia:* —— *poena suff.* (*Nyctegersia* I. — *Clytaemnestra* A. — *at ego* I. — *ut illi* mg I. — *poenam* I.)

Modeste respondet Ulixes, nimium se anteponi a Diomede aliis viris, qui itidem lubentissime eum comitari voluerint: nam etiam

62. XII. Vi illos suapte indúxit virtus; tú laudem illorúm levas.

Dein postquam Minervam in auxilium imploraverunt, abeunt. Secutum est sine dubio carmen chori, quo finito speculatores reversi Dolonem in scenam protrahunt. Huius sunt mortem deprecantis (cf. Il. 10. 378. 412. 427):

63. XIII. Cuncta éxpedibo; id módo ius iurandúm date.

Exploratis itaque rebus, quales sese habeant in castris Troianis, Dolonem ducibus custodiendum tradunt et scenam iterum relinquunt. Sed destituimur hic plane fragmentorum vestigiis, ut de processu fabulae iudicare non possimus. Attamen chorus et principes propter rei eventum, a quo bona malaque fortuna omnio pendebat, inter spem metumque fluctuantes, Dolon perterritus et incertus num vitam an mortem sibi Graeci daturi sint, fortasse etiam res aliqua ex poëtae inventione interiecta, deinde reditus Ulixis et Diomedis post necem Rhesi, interfectio denique Dolonis: haec omnia Attio satis grave argumentum offerebant, quod cothurno ex indole tragicae poesis optime accommodare poterat. Quum fabula, ut Euripidea, sine dubio crepusculi tempore finita sit, ex incertis fragmentis probaliliter huc affertur:

XII. Non. p. 336. 29. *Levare solvere. - - Levare etiam minuere. Accius - - Idem Nyptegresia: illo suapte* —— (*illos suapte* A.) Coniectura est Lachmanni (commentar. in Lucret. 6. 755) qui addit, suapte pro sponte dici somnium esse Isaaci Vossii.

XIII. Non. p. 505. 6. *Expedibo pro expediam. - - Accius Nyctegresia: cuncto exp.* —— (*cuncta* edd.) *Expedire,* exponere. Cf.: Pauca expediam dictis. Virg. Ae. 3. 379. Id. Georg. 4. 286. Nonii exempla l. c.

64. XIV. Iamque Aúroram rutiláre procul
Cernó. —
Eurip. Rhes. v. 985:
φῶς γὰρ ἡμέρας τόδε.

XIV. Varro L. L. 7. 83. *Apud Accium: —— aurora dicitur ante solis ortum, ab eo quod ab igni solis tum aureo aër aurescat.*

III. Parva Ilias.

I. ARMORUM IUDICIUM.

Cf. G. Hermann. de Aeschyli tragoediis fata Aiacis et Teucri complexis. Opp. 7. p. 362 sq.

Ediderat Aeschylus ὅπλων κρίσιν, ex qua Attius fortasse priorem suae tragoediae partem hausit; partem etiam Sophoclis Aiaci flagellifero debitam fuisse verisimile fecit Hermannus. Nam Aeschylus argumento armorum iudicii mortem Aiacis non subiunxerat sed Thressis servaverat: Attius autem procul dubio eam in hanc tragoediam arcessivit. Verumenimvero Hermannum non bene coniecisse puto, illa quoque, quae in dramate Sophocleo post mortem Aiacis ad funus aguntur, a nostro recepta fuisse. Omitto argumentum ita ultra modum extensum videri, sed deerat Romano poëtae causa illa, quae Graeco tragico gravissima fuit. Egregie nuper de illa disputavit Schneidewinus (Sophocles. Lips. 1849 Tom. I. Einleitung zum Aias p. 6 sq.): „Das aber war gerade die schwere Aufgabe des Sophokles, den Aias durch dieAbbüssung der Schuld zu erhöhen. Seit Kleisthenes ward Aias als einer der zehn Stammheroen Athens verehrt; er war der ἥρως ἐπώνυμος der Aiantischen Phyle. — — Demnach waren nicht allgemein menschliche Verhältnisse, sondern Aias' Heroenthum war das Ziel der Dichtung. Daher durfte das Drama nicht mit dem herben Ende des bitter gekränkten Helden enden, daher der weit ausgeführte Streit um die Bestattung der Leiche, wobei es sich nicht allein um das dem

Todten gebührende Recht, sondern darum handelte, den verkannnten hohen Werth des Aias zur vollen Anerkennung zu bringen. Dieser zweite Theil des Dramas ist gleichsam die Rechtfertigung der von Athen dem Aias erwiesenen heroischen Verehrung, welche immer zum Anknüpfungspunkte ein Grabmal verlangte.“ Accedit, quod fragmenta VII, XIII, quae Hermanno coniecturam suam suaserunt, non habent apud Sophoclem, cui respondeant facileque priori parti fabulae inseruntur.

Illud etiam valde dubium est, num strages armentorum, quae Sophoclis Aiaci proxima mortis causa est, statim post armorum iudicium in eadem fabula posita fuerit. Secundum Graecam tragoediam nox intercessit: nocte etiam facinus commissum fingi aptius est et credibilius. Adde, non omnes poëtas novisse hoc factum: nam neque Arctinus, neque qui Necyia composuit, neque Pindarus de eo quidquam tradiderant.

Oritur denique quaestio, cui iudicatum tribuerint poëtae. De Aeschyli fabula haec servavit Schol. ad Aristoph. Acharn. 848: *ὁ στίχος ἀπὸ δράματος Αἰσχύλου Ὅπλων κρίσεως ἐπιγεγραμμένου ἐν ᾧ ἐπικαλεῖται τὰς Νηρεΐδας τις ἐξελθούσας κρῖναι πρὸς τὴν Θέτιν.* Attamen quominus ex hisce colligatur, Nereides et Thetin iudices fuisse hoc impedit (ut acute Welckerus animadvertit), quod Aiax causa cecidit iniuria; debebat enim arma auferre et propter fortitudinem (maximam post Achillis, ut ipse Ulixes testatur Soph. Ai. 1340 sq.) et propter cognationem (Telamon et Peleus fratres fuere) et propter amicitiam, quibus Achilli coniunctus fuerat. Inde quum deos iniurios fingere non licuerit poëtae, bene observat Ahrensius (ed. Aesch. Didot. p. 213) ita tolli posse difficultatem hanc, ut Aiax falsa testimonia indignatus Thetidis os divinum testatus sit. Res est sane difficilis diiudicatu, ut nil ab omni parte certum assequi possimus; expeditiorem tamen intelligentiam commodioremque explicationem Attii fragmentorum — Aeschyli enim nil

vestigii offerunt — praebet narratio Eustathii ad Hom. Od. 11. 547: *ἕτεροι δέ φασιν, ὅτι ἐπίτηδες Ἀγαμέμνων φυλαττόμενος τὸ δόξαι θατέρῳ τῶν ἡρώων χαρίσασθαι, αἰχμαλώτους τῶν Τρώων συναγαγὼν ἤρετο αὐτούς, ὁπότερος τῶν δύο τούτων ἡρώων πρὸς κακοῦ μᾶλλον αὐτοῖς ἐγένετο· τῶν δὲ εἰπόντων ὡς ὁ Ὀδυσσεύς, ἐκρίθη λοιπὸν ἄριστον εἶναι τὸν πλεῖστα μάλιστα λυπήσαντα τοὺς ἐχθρούς. καὶ εὐθὺς Ὀδυσσεὺς μὲν ἔλαβε τὰ ὅπλα, Αἴας δὲ ἀπῆλθε ξίφει πεσών.*

Convocata concione Agamemnon iussu Thetidis Achillis arma divina ei praemium proponit, quem ipse et ceteri duces fortissimum iudicaverint. Duo tantum petitores exsistere audent, Aiax et Ulixes. Horum ex orationibus quum maior fragmentorum numerus depromptus sit, non nullius pretii aestimavi comparationem eorum cum eiusdem iudicii adornatione apud Ovidium, quae splendidissima exstat Metam. lib. 13. in. Hinc ut aliunde etiam, ubi argumenta tragicorum et Ovidii consentiunt, manifestum est, hunc nonnunquam tragoediarum adumbrationes, immo etiam verba hic illic, suo poësis generi et legi metricae accommodasse. Prior apud Attium quoque verba fecerit Aiax:

I. Quid'st cúr componere aúsis mihi te aut mé tibi?

Pacuv. in cognominata fabula (Non. p. 473. 15):

An quis est, qui te esse dignum quicum certetur putet?

Ovid. Met. 13. 5:

„Agimus, proh Iupiter!" inquit,
„Ante rates causam, et mecum confertur Ulixes!"

Arma sibi vindicat his verbis:

I. Non. p. 257. 15. *Componere, disponere, constituere - - Componere rursus significat comparare. Accius in Armorum iudicio: quid est ——.* Voculárum *est* et *es* aphaeresis latissime patet. Cf. Ritschl. Prolegg. Plaut. p. 107.

66. II. Apérte fatur díctio si intélligas;
Talí dari arma, quális qui gessít fuit
Iubét, potiri sí studeamus Pérgamo
Quae méa profiteor ésse: nam me aequum ést frui
Fratérnis armis, míhique adiudicárier,
Vel quód propinquus, vél quod virtutum aémulus.

Ovid. l. c. v. 31:

— *Frater eram, fraterna peto!*

Increpat adversario perfidiam:

67. III. Cuius ípse princeps iúrisiurandí fuit,
Quod ómnes scitis, sólus neglexít fidem
Furere ássimulavit, né coiret ínstitit
Quodní Palamedis pérspicax prudéntia
Istiús percepset málitiosam audáciam
Fidé sacratum iús perpetuo fálleret.

Similiter apud Ovidium Aiax sic loquitur (l. c. v. 55.):

— *potiorque videbitur ille*
Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto, donec sollertior isto

II. Auct. ad Herenn. 2. 26. *Item vitiosum est, cum id, de quo summa controversia est, parum expeditur et quasi transactum sit, relinquitur, hoc modo:* —— (*Pergama* ed. Mediol. — *Quae ego prof. e. mea:* Lamb. — *virtute* Lamb. Schütz.) *Dictio*, qua Thetis Agamemnonem iusserat arma fortissimo adiiudicare; de oraculo nil compertum habemus.

III. Cic. de offic. 3. 26. 98. *Quid enim auditurum putas fuisse Ulixem, si in illa simulatione perseverasset? qui cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace:* ——. Rem ita narrat Hyginus f. 95: „- - Itaque cum sciret (Ulixes) ad se oratores venturos, insaniam simulans pileum sumsit et equum cum bove iunxit ad aratrum. Quem Palamedes ut vidit, sensit simulare atque Telemachum filium eius cunis sublatum aratro ei subiecit et ait: Simulatione deposita, inter coniuratos veni. Tunc Ulixes fidem dedit se venturum; ex eo Palamedi infestus fuit.“

At sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?

Ironice laudat adversarium, dum quae ipse fortissime fecit ab Ulixe perpetrata simulat:

68. IV. Vidí te Ulixe, sáxo sternentem Héctora,
Vidí tegentem clípeo classem Dóricam;
Ego túnc pudendam trépidus hortabár fugam.

Aperte loquitur apud Ovidium (l. c. v. 85 et 91):

Hunc ego sanguineae successu caedis ovantem
Cominus ingenti resupinum pondere fudi — —
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus.

Aiacis etiam esse videntur:

69. V. Quare áccusem hunc, nequeo éxputando evólvere:
Nam sí veretur, quíd eum accusem qui ést probus?
Sin ínverecundum ánimi ingenium póssidet
Quid eum áccusem, id qui párvi audirier aéstimet?

Sub finem complectitur paucis vitia Ulixis:

70. VI. Nunc égo te ab summo iám detexam exórdio.

IV. Charis. 4. p. 252: ——. *Haec omnia cum derisu quodam dicta sunt a fortiori ad non fortem.* De re cf. Hom. Il. 13 in f. 14 in f.

V. Auct. ad Herenn. 2. 26. *Item vitiosum est, ipsum sibi in sua oratione dissentire, et contra ea, quae ante dixerit, dicere hoc modo:* —— (*Qua causa hunc* Codd. edd. vett. — Pro *nequeo* habent codd. *tum id*, unde Gronov. ci. *timeo. nequeo* Lambin. Ernest. Schütz. Graevio-Burm. — *id qui parvi auditu existimet* vg.) Cf.: Vereri perdidit. Plaut. Bacch. 1. 2. 50. — Ingenium ingenii. Plaut. Stich. I. 2. 69. — Tu recte vivis si curas esse, quod audis. Hor. Epp. 1. 16. 17. Sensus: Ulixes aut verecundus aut inverecundus est. Sin verecundus est, non accusatione sed laude dignus est; sin inverecundus, ad irritum cadet accusatio, quia nihili facit, talem se haberi et contemni.

VI. Auct. ad Herenn. 2. 27.: *Quid? postea quid ait?* ——

Postulat denique ab Atridis, ut eo quod sibi amico et cognato Achillis arma adiudicent, dirimant culpam illam ereptae Briseïdis:

71. VII. (Sed) nóxitudo oblítteretur hóc die
Pelópidarum atque pér nos sanctescát genus.

Habes, quae Aiacis esse censemus. Non omittendum videtur, quod auctor librorum ad Herennium (vide fr. IV. V. VI.), qui illius orationem censura quadam examinavit, monstrat, Aiacem in leges artis oratoriae peccasse: nam manifestum est, nostrum consulto verba ita accommodasse ei, qui ipse de se fateatur: *Sed nec mihi dicere promtum* (Ov. l. c. 10.)

Finita igitur simplici illa oratione, facundus Ulixes (Ov. l. c. 125)

Adstitit atque oculos paullum tellure moratos
Sustulit ad proceres,

cuius apud Nasonem verba summam elegantiam, splendorem et artem prae se ferunt. Quamvis *et genus et proavos* vix afferri licere existimet, tamen contemptim *quia retulit Aias Esse Iovis pronepos* (Ov. l. c. 141), ipse etiam suum quoque genus a Iove duci exponit:

72. VIII. Huiús me dividia cógit plus quam est pár loqui.

Hoc praecipue studet ostendere, sua potissimum opera toties universum exercitum servatum esse; se esse illum,

73. IX. In quó salutis spés supremas síbi habet summa exérciti.

VII. Non. p. 143. 21. *Noxitudo pro noxia. Accius Armorum iudicio: ocule noxitudo Oblitteretur Pelopidarum ac per nos santescat genus. (sanctescat.* edd.) *Noxitudo* et *sanctescat sunt* ἅπαξ λεγόμενα.

VIII. Non. p. 96. 22. *Dividia est taedium. Accius Armorum iudicio*: —— Cf.: Nam quod tibi est aegre, idem mihi est dividiae. Plaut. Cas. 2. 2. 11.

IX. Non. p. 485. 13. *Exerciti vel exercituis pro exercitus.*

Contentus sit Aiax spoliis Troianorum ut Teucer, qui item a Iove ortus, Achillis arma tamen non cupiverit:

74. X. Sed íta Achilli inclutís armis vescí studet
Ut cúncta ea opima lévia prae illís putet.

Tum apud Ovidium (v. 262):

— *Sunt et mihi vulnera, cives*, cett.

Apud Attium de hostibus loquitur (Ov. v. 255 sq.):

75. XI. Intér quos saepe et múlto imbutus sánguine —

Tamen callide non infitiatur fortissimum esse Aiacem, ut honorem sibi ducat cum eo comparari, multo magis, si eum victurus sit:

76. XII. — Nám tropaeum férre me a fortí viro
Pulchrum ést, si autem etiam víncar vinci a
táli nullum mi ést probrum.

Ovidius Aiacem ita loquentem facit l. c. v. 19):

Iste tulit pretium iam nunc certaminis huius
Quo cum victus erit, mecum certasse feretur.

Sed quanto ingenium pluris aestimandum sit, quam robur, tanto se superare Aiacem.

Accius Armorum iudicio: I. *q. s. spesque s. s. h. s. e.* (*salutes* ms. Palat. — *spesque summas* L. princ. A. — *spes summas* I. — *habet exerciti* I.) Exerciti habet etiam Naevius ap. Charis. p. 108.

X. Non. p. 416. 5. *Vesci est edere - - Vesci etiam significat uti - - Accius Armorum iudicio*: *sed it Achilli incletis a. v. st. Ut ea cuncta optima Achilli inclyto levia prae illis putet.* (*indutus - - induto* I. — *inclytis - - optima is levia prae* mg I.) In promptu est, posterius *Achilli inclyto* ex linea praecedente huc irrepsisse.

XI. Non. p. 521. 6. *Imbuere consuetudo inducere vel inficere existimat, cum sit proprie maculare, vel polluere, vel inficere. Accius Armorum iudicio*: *int. q. s. e. m. imbutos s.* (*intra quos* princ.) Cf.: Imbutae caede manus. Ov. A. A. 2. 714.

XII. Macrob. lib. 6. 1. *Vergilius*: *Aut spoliis ego iam raptis laetabor opimis Aut leto insigni. Accius in armorum iudicio*: *N. t. f. m. a. f. v. p. e. S. aut. vinc. v. a. t. null. est pr.* Dedi versus ex coniectura Hermanni.

XIII. Non. p. 237. 21. *Altum non solum aerium vel profundum, sicuti plerumque. - - Altum vetus, antiquum. - - Accius*

Finitis orationibus duces dissentiunt, uter exercitui plus profuerit. Immo rixantur Agamemno et Menelaus et vehementibus verbis altercantur inter se. Menelao conveniunt haec:

77. XIII. Cur vétera tam ex alto áppetissis díscidia
Agamémno?

De veteribus discidiis cf. Telephi fr. VII et VIII. Nestor denique suasisse videtur, ut res per illos decernatur, penes quos expeditissimum sit de ea iudicium. Nam Troianos ipsos optime scire, uter eos graviore damno affecerit. Arcessuntur igitur captivi, e quibus nobilior aliquis dixerit:

78. XIV. Hem véreor plus quam fás est captivum
híscere.

(Possunt tamen et Graeci cuiusdam esse.) Ulixi arma ita adiudicantur.

Incipit altera tragoediae pars, Sophoclea. Aiax (v. 462):

καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεταί ποτ᾽ εἰσιδεῖν
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ
ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν;

Attius eundem ita loquentem facit:

79. XV. Maiór erit luctus cúm me damnatum aúdiet.

Armorum iudicio: —— Distinguendum inter dissidium (dissideo) et discidium (discido.) — *Appetissis* est ἅπ. λεγ. — Cf.: Quid causas petis ex alto? Virg. Ae. 8. 395.

XIV. Non. p. 120. 28. *Hiscere est proprie loqui. Accius Armorum iudicio:* —— *item vereor* A.) Cf.: Verear me incedere. Plaut. Mil. gl. 4. 7. 2. — Nec scire fas est omnia. Hor. Carm. 4. 4. 22. — Nec attollere oculos aut hiscere audebant. Liv. 6. 16. 13.

XV. Non. p. 276. 31. *Damnare est damno afficere. - - Damnare est morti dare. - - Accius Armorum iudicio:* —— „Non recte hoc Nonius morti datum significare putavit, quum damno affectum vel in iudicio reiectum notet" Herm. Nusquam damnare non addito capite vel capitis pro morti dare invenies.

Eurysacen pater adduci iubet, quem Tecmessa (v. 533)

μὴ σοί γέ που δύστηνος ἀντήσας θάνοι

ablegaverat. Aiax eam laudat:

80. XVI. Bene fécisti id ne quíd subiti mihí febris
Mali éxciret. —

Apud Sophoclem haec sunt verba patris ad filium (550):

Ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος.

Quae noster ita expressit:

81. XVII. Virtúti sis par, díspar fortunís patris.

Et coll. Soph. v. 552 sq. Huc refero etiam:

82. XVIII. — Ubi
Cura ést ibi anxitúdo, acerbat cúncta ibi
Consíliorum ratio ét fortunae. —

Ex nuncii oratione v. 748 sq. fluxisse verisimile est:

83. XIX. Sed pérvico Aiax ánimo atque immorábili.

Idem apud Pacuvium dicitur (Non. p. 161. 24.)

Feroci ingenio, torvus praegrandi gradu.

Post mortem Aiacis chorus sine dubio finem tragoediae faciebat carmine, quo illius fatum deplorabat monebatque,

---

XVI. Non. p. 173. 29. *Subiti dicti pro repentini Accius Armorum iudicio: bene facis. Sed nunc q. s. m. f. escivit mali?* (*qui subiti* L. — *febris aestuat ante* M. — *escivit mihi* L.) Herm. dedit *febrem.* Significare videtur hic *febris* tormenta propter damnationem. Cf. Plaut. Pseud. 2. 2. 48.

XVII. Maccrob. Sat. 6. 1. *Vergilius: Disce puer virtutem ex me verumque laborem, Fortunam ex aliis. Accius in armorum iudicio:* ——

XVIII. Non. p. 72. 28. *Anxitudo. Accius - - Idem armorum iudicio:* —— (*acerba ibi* I. M.) Bothius falso: „Recte Voss. anxietudo. Vulgatum anxitudo analogia caret.“ Et noxitudo? Ipse Cic. utitur forma anxitudine Rep. 2. 41. Mire Hermann. verba: *acerba - - fortunae* Ciceronis additamentum habet.

XIX. Non. p. 487. 14. *Pervico pro pervicaci. Accius Armorum iudicio:* —— a. *vorabili.* — *inorabili* coni. Lips. M. *immemorabili* coni. Bothe *inexorabili* coni. Voss. Maluissem equidem *immobili,* nisi Pacuvii locus Hermanni coniecturae, quam recepi, favisset.

deorum esse imperium potentiamque de hominibus; nonnisi his benigne adiuvantibus mortales vita bonisque frui posse:

84. XX. Nám non facile síne deum opera humána propria súnt bona.

II. NEOPTOLEMUS.

Cf. Welcker. tr. Gr. p. 144 sq.

Sophoclis Dolopes et Phoenicem duo eiusdem tragoediae nomina fuisse contra Brunckium qui duas fuisse fabulas censuit, Welckerus contendit. Huius dramatis fragmenta quae perexigua tantum sunt, dubium relinquunt, num Phoenicis ad Peleum adventus (Il. I. 448 — 480.) argumentum fuerit: sed Attii Neoptolemus, quum magna cum verisimilitudine imitatio Sophoclis Phoenicis habeatur, evincit, Neoptolemi potius ex Scyro in castra Troiana arcessitum subiectum fuisse. Achillis enim post mortem Graeci ex Heleni ab Ulixe capti vaticinio (Soph. Phil. 1329 sq. 1434.) persuasum habebant, Troiam sine Achillis filio et Philoctetae sagittis capi non posse. Missi igitur sunt Phoenix et Ulixes, qui Neoptolemum adducerent (Soph. Phil. 343 sq.). Ceterum argumentum paullo accuratius descriptum Welckerus investigavit apud Philostratum (Imag. 1). Phoenix in insulam Scyrum appulsus iuvenit iuvenem Neoptolemum, qui parentibus, quod eum in bellum proficisci prohibebant, iratus ad greges secesserat, armenta omittentem propter cogitationes de bello. Quum ille agnito

---

XX. Non. p. 362. 3. *Proprium diuturnum - - Proprium rursus significat perpetuum - - Accius Armorum iudicio:* ——

statim hoc ex forma corporis facieque, quis esset aperuisset, nunciatur Lycomedi et Deïdamiae. Scena inde erat fabulae in Scyro insula, chorus apud Sophoclem Dolopes Phoenicis comites erant. Etiamsi Philoctetae Sophoclei analogia repugnare videtur, censeo tamen duos hic fuisse arcessitores, Phoenicem et Ulixem; illum e nomine tragoediae Sophoclis, hunc e pluribus Attiani Neoptolemi fragmentis cognosci licet. Adde Sophoclis locum in Philoctete (343 — 347) ubi ipse duos illos duces ad Scyrum navigasse ait. Quod Welckerus verisimile iudicat, apud Graecum poëtam unum Phoenicem, apud Latinum unum Ulixen legatum introductum fuisse, ei locus Sophocleus modo allatus adversatur, et nostro nulla omnino causa fabulam ita variandi suppeditabat.

Puto Neoptolemum duces a littore ad regiam adduxisse, ubi a colloquio hasce inter tres personas tragoedia initium ceperit. Iuvenem sponte iam paratum magis etiam legati ad profectionem alliciunt, quo facilius, si opus foret, parentibus etiam invitis, eum abripiant. Quare Phoenix loquitur de gloria adipiscenda, Ulixes promittit arma patris. Difficillima legationis pars erat procul dubio matrem, quae Achille mortuo Neoptolemum magis etiam amabat, eo adducere, ut de filii profectione consentiret. Hoc ut perpetret dolum adhibuisse videtur Ulixes simulans, Lycomedem iam esse assensum, et ut verisimilis ea res redderetur, poëta aliqua de causa absentem hunc finxerat, veluti venandi gratia. Deïdamiae igitur, ubi e regia processit —

I. Atque ádeo valvas sónere sensi régias

— quid postulent, duces pronunciant. Ignominiae esse filio otium, dum pater inultus maneat; nam

---

I. Non. p. 505. 12. *Sonere* - - *Accius Neoptolemo*: ——. Cf.: Atque **adeo** in ipso tempore eccum obviam. Ter. Andr. 3. 2. 52. Adeo est nostrum encliticum „ja", v. g. da ist er **ja** selbst!

86. II. — Decorare est sátius tumulum taeniis.

Accedere aiunt, quod iam Lycomedes

87. III. Ubi nihil
Contrá rationem aequam hábuit adsensít silens.

Persuasit ei

88. IV. — Veritátis vis atque ácritas.

Deïdamiae querelas audimus:

89. V. Sed quém mihi iungent, cuí quae cum illo fú-
erim dignabór dari?

Eiusdem verba fuerint:

90. VI. Haud quísquam potis est tólerare acritúdinem.

Dum ita mater malam suam fortunam deplorat, legati autem in eo sunt ut Neoptolemum abducant, supervenerit Lycomedes. Cuius odium adversus Graecos cognoscimus ex verbis:

91. VII. Dolét pudetque Gráium me et veró piget.

Vehementibus verbis duces iubet abire, alium sibi quaerere, postquam Neoptolemi patrem perdiderint. Illi:

II. Fest. p. 360. *Taenias Graecam vocem sic interpretatur Verrius ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati - - Accius in Neoptolemo: Decorare est satius, quam urbem exeneis* (*taeniis* Ald. vg. — *ab e taeniis* Urs. in mg.) Bothius: *tumulum d. e. s. q. u. t.* Equidem sensum non perspicio, etiamsi Muell. acutam appellat hanc coniecturam. Urbem taeniis decorare?

III. Non. p. 469. 16. *Adsentit est et passivum. Accius Neoptolemo: u. n. c. r. etquam h. a. s.*

IV. Non. p. 493. 14. *Acritas. Accius Neoptolemo: vis veritatis atque acritas* (*Neoptolomo* W. — *ius veritatis* princ.) Cf. A. Gell. N. A. 13, 3. 2: *Attius in Neoptolemo scripsit acritas.*

V. Non. p. 281. 4. *Dignatus significat dignus habitus - - Accius in Neoptolemo: s. q. m. i. tuique tu illo fuerint, d. d.* (*cuique tu A.*) Refinxit versum Mercerus.

VI. Fest. p. 356. *Tolerare patienter ferre. Accius in Neoptolemo: aut quisquam p. e. t. a.* (*haut* in mg. Urs.)

VII. Non. p. 424. 2. *Pudet et piget hoc distat: pudet enim verecundiae est, pigere poenitentiae - - Accius Neoptolemo: doet pudetque gravium me et v. p.* (*qui genuerim* mg. I.)

92. VIII. — Quid si ex Gráecia
Omni íllius par némo reperirí potest?

Neminem enim, nisi filium, Achillis virtutes possidere:

93. IX. Vím, ferociam, ánimum, atrocitátem, iram,
acrimóniam.

Cui opposuerit Lycomedes maledice:

94. X. Satin' ástu et fallendó callet? —

Patrem Neoptolemi scilicet hisce virtutibus egregium morti occubuisse. Ulixen vero dolo et versutia eminentem vivere. Sed quid multa, pergit idem:

95. XI. Satis iam dictum est néque ego errantiae ánimi prave mórigerabor.

Abhinc quomodo adornata fuerit tragoedia, fragmenta coniecturam non permittunt; sed ut universum argumentum et totius fabulae dispositio permagnam similitudinem cum Philocteta Sophoclis habuisse videtur, ita Herculis, quae illic partes sunt, hic Achillis simulacro tanquam deo ex machina traditas fuisse verisimile est. Ulixis denique abducturi Neoptolemum sunt verba:

96. XII. Ita út dixi, macte hís, armisque mácta virtutém patris!

VIII. Non. p. 501. 4. *Genitivus pro dativo. Accius Neoptolemo: quid? si ex Grecia omne ilium p. n. repperiri p.?* (*ex agrecia* W. — *omne nomen ilium p.* 1480 A. I.) Cf.: Ei erat hospes par illius Plaut. Rud. prol. 49.

IX. Non. p. 73. 19. *Acrimonia est animi vivacitas - - Accius Neoptolemo:* ——

X. Non. p. 256. 5. *Callet significat scit - - Accius - - Idem in Neoptolemo*: — —

XI. Non. p. 204. 12. *Error masculini est generis - - Feminini Accius Neoptolemo.* —— (*errantia* A. I.) *Errantia est* ἅπ. λεγ.

XII. Non. p. 341. 30. *Mactare praecipitare - - Mactare est magis augere - - Accius Optolempo: ta ut dixi, macte his armisque macte virtutem patris* (*optolemptata ut* B. — *opeolem. Pola ut* A. — *macte his armis, macte virtuti patris* b.) Observa paronomasiam.

Haec habes Neoptolemi Attiani fragmenta, quorum in quaerendo fabulae argumento ratio habenda fuit. Quae enim insuper servata sunt:

97. XIII. Atque ego re . . .

98. XIV. Sed iam pro . . . . tes salum

99. XV. Sed quesdam

nullius omnino, ut vides, sunt momenti.

III. PHILOCTETES.

Cf. Düntzer. in Zimmermanni Zeitschrift f. Alt-W. 1838 No. 4 sq. Welcker. in Mus. Rh. 5. (1837.) p. 466 sq. Hermanni opp. 3. p. 115 sq.

Prima iam fragmentorum inspectio docet, argumentum Attii Philoctetae idem fuisse ac Sophocleae fabulae cognominis neque vero Philoctetam in Troia. Exstiterunt autem eiusdem argumenti apud Graecos plures tragoediae, quarum (Antiphontis), Philoclis, Theodectae omittentes, de quibus vix plus compertum habemus, quam nomen, ad tres illas principum fabulas animum advertemus ut, quod ad imitandum sibi exemplar proposuerit Attius, quousque licet, investigemus.

Atque hic facillimum est de Sophocle diiudicare, cuius tota superest tragoedia. Huius enim ab adornatione quantum nostri fragmenta dissentiant, nemo non videt. Aeschyli autem et Euripidis tragoediae quamvis

---

XIII et XIV. Fest. p. 273. *Rates ietm - - [eodem navium signi] ficarint etiam re [mos Attius in Neopto] lemo: Atque ego re [percutio ratibus mare] et alio loco: Sed iam pro [pellunt caeruleum ra] tes salum.* — „Hos Attii versus Scaliger et Ursin. e coni. nullo alio subsidio expleverunt“ Mueller.

XV. Prisc. 13. 3. 13. p. 567. *Accusativum etiam quos, quas vel ques - - Attius in Neoptolemo: ——.*

aetatem non tulerint, tamen servatus nobis est locus apud Dionem Chrysostomum, ubi quum comparatio instituatur, de earum diversitate et generali dispositione haud spernenda nonnulla invenimus. Ex Euripidis fabula (quam Scaliger mire putat Attium imitatum esse,) ibidem non solum prologus sed etiam prima quae secuta est scena legitur. Iam vero, ut taceam quod fragmentis Attianis XVII, XVIII, XIX, XX, quae sine dubio ex eodem Ulixis cum Philocteta colloquio repetita sunt, illic loci similes non inveniantur, occurrunt nobis apud Attium sententiae, quae nisi praecesserint Euripidis prologum explicari non possunt. Restat igitur ut ad Aeschylum recurramus. Hic teste Dione a Sophocle, qui Neoptolemum, ab Euripide, qui Diomedem comitem addiderat Ulixi, hac etiam in re diversus erat, quod solum Ulixem legatum introducebat. Fragmenta eodem Dione duce facile in ordinem digeruntur, quum eorum sensus rationesque commode intelligantur. Dubitatur tantummodo de personis ea pronunciantibus, qua in re paullum Hermannus a Welckero, nos ab utroque non multum discedimus.

Dio Chrysost. Or. 52: — — *καὶ οὐδέν γε ἀλλαττούσης τῆς Ἀθηνᾶς προςεδεήθη πρὸς τὸ μὴ γνωσθῆναι ὅστις ἐστὶν ὑπὸ τοῦ Φιλοκτήτου, καθάπερ Ὅμηρος κἀκείνῳ δὲ ἑπόμενος Εὐριπίδης ἐποίησεν.* Locus hic datur coniecturae, Minervam initio tragoediae apparuisse et cum Ulixe collocutam esse quid agendum sit suadentem. Probatur fragmentis. Habemus enim Minervae allocutionem:

I. Inclúte parva prodíte patria

I. Mar. Victor. l. 2. p. 2522. 14: *Anapaesticum melos binis pedibus amat sensum includere ut apud Actium: Inclyte p. prodite p. n. c. c. petens p. A. c. author. Quae circa sex versatur dipodias.* L. Apuleius de deo Socrat. c. 24 § 176: - - *ut Attius Ulixen laudavit in Philocteta suo in eius tragoediae principio:* —— . Hildebr.

Nominé celebri claróque potens
Pectóre Achivis classíbus auctor
Gravi' Dárdaniis gentíbus ultor
Laértiade.
101 II. Lemnía praesto
Littóra rara et celsá Cabirum
Delúbra tenes mystériaque
Pristína castis concépta sacris.
Dein Vólcania templá sub ipsis
Collíbus, in quos delátu' locos
Dicítur alto ab limíne coeli, et
Nemus éxspirante vapóre vides
102 III. Unde ígni cluet' mortálibu' clam·

---

cont[illegible]metrum: *Gravis Dardanii*. — Cf.: Pectus est quod disertos facit et vis mentis Quinct. 10. 7. 15. — *Auctor*, quasi alter conditor, servator.

II. Varro L. L. 7 § 11 p. 121. *Apud Accium in Philocteta Lemnio: Quis tu es mortalis qui in deserta et tesca te apportes loca? Ea enim loca quae sint designat quom dicit:* —— *unde ignis cluet mortalibus clam divisus. Quare quod tesca dixit non erravit neque ideo quod sancta, sed quod ubi mysteria fiunt, attuentur tuesca dicta.* (*ut Philocto aetatem* codd. — *appones* codd. — *prest olitor ararat* codd. — *castris* FGH. — *deinde* F. — *Volgana* FGHa. — *lumine* codd. — *menius* Guelf. *nevius* ed. princ. cum cod. Lips. *Naevius* cod B. *expirante* FGa. *ex plante* b. — *ignes* codd. — *cluvet* FGHa. — *clam* om. codd. — *divis* codd. — *aut tuentur* codd.) *Concepta tenes* i. e. oculis. Cf. Plaut. Poen. 1. 2. 65.—*Celsa*, excelsa, illustria. — De sacris Cabirum cf. Welcker. tril. 256. — *Rara*, infrequentia. — *In quos delatus* scil. Volcanus. Fortasse scribendum v. 9. *Volcani*. — Cf.: Exspirant halitus Averni. Val. Flacc. 4. 493. — Atridae cluent fecisse facinus maximum Plaut. Bacch. 4 9. 1. — Dividere cum dat. personae est distribuere. Cf. Hor. Sat. 2. 3. 169. Carm. 1. 36 6. Sall. Liv. all.

III. Cic. Tusc. 2. 10. 13. *Veniat Aeschylus non poëta solum sed etiam Pythagoreus: quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium: Unde igni'* —— *supremo.* (*lucet* codd.) Coniecturas quaere in edit. Orell. — Nonnullae editiones dant: *dictus Prom.*, quod retinent Herm. Orell. Sed supplendum est ex

Divísus; eum doctú' Prometheus
Clepsísse dolo poenásque Iovi
Fato éxpendisse suprémo.

Minervae etiam sunt admonentis Ulixem ut caute considerateque Philoctetam aggrediatur minime, ait fortasse, laetaretur ille vir, si te comitem olim suum agniturus esset, sed talis est ira et odio adversus Graecos

103 IV. Quem néque tueri contrá nec affarí queas.

Te magis etiam, quam alios detestatur:

104 V. — Cui potéstas si detúr, tua
Cupiénter malis mémbra discerpát suis.

Respondet Ulixes:

105 VI. Contra ést eundum caútim et captandúm mihi.

Quaerit:

---

praecedenti *cluet.* — *Doctus*, edoctus beneficia ignis, quae illuc usque deorum erant arcana. — Düntz. Müll. Welck. ita hoc fragmentum (I, II, III) legunt ut quatuor eius partes esse statuant, primam: *Inclute - - Laertiade;* alteram: *Lemnia - - Sacris;* tertiam: *Volcania - - coeli;* quartam: *Nemus - - supremo.* Iam vero quam apte coniungatur prima cum secunda vix moneam necesse est; tum, ne vocabula *deinde* (quod pro *dein* ex uno tantum cod. recepit Muell.) atque *et* Varroni tribuam iisque discindam locum, haec dissuadent. Primum metrum postulat *dein*, quia carmen constat ex dimetr. anap.; tum vero, quod gravioris est momenti, sententiarum nexus totum locum coniungi iubet. Minerva enim Ulixi explicatura est, ubi sint. Sumus, ait, in insula Lemno. En enim, in conspectu habes (*concepta tenes*) delubra Cabirum, dein vides templa Volcani, et (*vides*, nam procul dubio hoc verbum referendum est etiam huc) nemus. Habemus elegans systema anapaesticum cum clausula Paroemiaca.

IV. Macrob. Sat. 6. 1. p. 160. Vergilius: *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. Accius in Philoctete:* ——

V. Non. p. 91. 5. *Cupienter*, *cupidissime. Accius Filocteta*: *cui pot. detur tua Cup. m. m. d. s.*

VI. Non. p. 512. 11. *Cautim pro caute. Accius - - Idem Filoctita:* —— (*captando* W. mg I.)

106 VII. Ubi habet? urbe agrone?

Minerva:

107 VIII. — Iacet in tecto húmido,
Quod éiulatu quéstu gemitu frémitibus
Resonándo mutum flébiles vocés refert.

108 IX. Quum e víperino mórsu venae víscerum
Venéno imbutae tétros cruciatús cient.

109 X. Vitám sagittarum aúcupio propáginat,

VII. Non. p. 318. 6. *Habere satis esse - - Habere rursus habitare - - Accius Filoctete*: —— (*habet turbe agone* B. — *urbe* Mss. Merc. — *urbem* I. 583. — *agrumve* mg I.)

VIII. Cic. Tusc. 2. 14. 33. *Sed ille certe non fortis qui* —— (*lecto* codd. fere omnes. — *qui* codd. multi. — *multum* codd. ex-cept. Oxonn. aliq.) *Lectum* genere neutro serioris est latinitatis. (Duo tantum exempla innotuerunt et ea quidem ex Ulpiano.) Neque bene iungi possunt: *lectum refert voces*. Idem fragm. ap. Cic. de Fin. 2. 29. 94. *Quamobrem turpe putandum est, non dico non dolere, nam id quidem est interdum necesse sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare*: *Quod eiul.* —— (*multum* codd. aliq.) Cf.: Clamore et gemitu templum resonit coelitum. Attius ap. Non. p. 504. 29. —

IX. Cic. de Fin. 2. 29. 94. *Huic Epicurus comparet se, si potest*: *Cum vip.* ——. Idem fragm. ap. Cic. 2. 7. 19. *Nihil igitur hunc virum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolantur, quum*: *E vip. m.* —— (*cierent* codd. aliqq.). Id. fr. ap. Non. p. 324. 26. *Imbuere est initiare - - Imbuere est inficere. Accius Filocteta*: *cum e vip. morsu bene visc.* Veneno *imbuta est etero cruciatus sciens* (*morsu imbuta taetros cruc. ciens* b. — *et ero* B.) *Venae viscerum* i. e in intimo corpore; eo maior debebat esse vehementia doloris.

X. Cic. de Fin. 5. 11. 32. *Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae cum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant, et angantur appropinquitate mortis confecti homines senectute, et ea perferant quae Philoctetam videmus in fabulis; qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum, configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Attium est, pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat.* Idem fragm. ap. Censorin. de metr. p. 2726: *Pro veste pinnis membra textis contigit.* — Versuum ingeniosa haec restitutio debetur Hermanno.

Confígit tardus céleres, stans volátiles,
Pro véste pinnis mémbra textis cóntegit.

Scenam tragoediae prope Philoctetae speluncam fuisse hac re verisimile redditur, quod sequebatur chori colloquium cum aegroto. Audiamus Dionem (l. c.): *Οὐ τοίνυν οὐδὲ ἐκεῖνο δοκεῖ μοι δικαίως ἄν τις αἰτιάσασθαι τὸ διηγεῖσθαι πρὸς τὸν χορὸν* (qui erat Lemniorum: *ἄμφω*- Aeschylum et Euripidem dicit-*γὰρ ἐκ τῶν Λημνίων ἐποίησαν τὸν χορόν*·) *ὡς ἀγνοοῦντα τὰ περὶ τὴν ἀπόλειψιν τὴν τῶν Ἀχαιῶν καὶ τὰ καθόλου συμβαίνοντα αὐτῷ· οἱ γὰρ δυστυχοῦντες ἄνθρωποι πολλάκις εἰώθασι μεμνῆσθαι τῶν συμφορῶν καὶ τοῖς εἰδόσιν ἀκριβῶς καὶ μηδὲν δεομένοις ἀκούειν ἐνοχλοῦσιν ἀεὶ διηγούμενοι.* Ex narratione Philoctetae, quae hic dicitur, pauca servata sunt. Ubi expingere coepit calamitates suas, Paridem absentem compellat:

110 XI. Tibi si ímperasses égo nunc non essém miser.

Enarrat

111 XII. Dracontem

illum Iunonis in insula Chryse tam graviter putideque eum vulnerasse. Recordatus inhumanitatis, qua comites eum dereliquerint persuasum sibi habet,

112 XIII. Phrygiam ésse mitiórem immani Graécia.

Describit miserrimas vitae quam nunc degit conditiones,

XI. Quinct. Inst. 5. 10. 84. *Recte autem monemur, caussas non utique ab ultimo esse repetendas ut Medea - - et Philocteta Paridi: Si imper. t. e. n. n. e. m.* (*paridis impar esses tibi* Turic. — *paridi si par, pari dispar*, alii.)

XII. Charis. l. 1. P. 101. *Dracontem Attius in Philocteta, quod utique venit a Nominativo hic dracon.* Cf. Aesch. fr. 234 (Dind.)

XIII. Non. p. 323. 15. *Immane significat ingens - - Immane rursus minime bonum et nocens - - Accius Filocteta: Frygiam mitiorem esse sam imani Grecia.* (*miti more esse sam imani Greciam* G. — *fr. mitymorem ex se sam* B. — *mitiore more esse quam immanem Graeciam* Ald.)

quum habitet in regione tam deserta et vacua occursu hominum, sed

113 XIV. — Cáprigenum trita úngulis
avibusque amica. Victum sibi parat aegrotus

114 XV. Recíproca tendens nérvo equino cóncita
Téla. —

Itaque divinae illae Herculis sagittae, quae contra armatos melius coniiciantur, in volucres inermes mittuntur:

115 XVI. — Pinnigero nón armigero córpore
Tela éxercentur haéc abiecta glória.

Modo iterum in scenam processit Ulixes, quem his allocutus esse videtur Philoctetes:

116 XVII. Quis tu és mortalis, qui ín deserta et tésca
te apportés loca?

et stupentem illum videns ob corporis sui sordem et foeditatem, ait:

117 XVIII. — Quod te óbsecro

XIV. Macrob. Sat. 6. 5 p. 182. *Accius in Philoctete:* ——

XV. Varro L. L. 7. § 80 p. 150. *Apud Accium:* ——; *reciproca est quom unde quid profectum redit eo.* Idem fragm. ap. Serv. Dan. in Aen. 9. 622 p. 536. *Nervoque equino; quia in arcubus nervi equini solent esse. Accius Philoctete: Tendens nervo equino concita tela. — Tendere tela nervo* dictum est ut tendere sagittas arcu. Hoc. carm. 1. 29. 9. — *Reciproca, παλίντονα τόξα, παλίντ. βέλη* Aesch. Choëph. 160 — Fortasse legendum *concito.* Cf.: Concitantur tela. Liv. 34. 39.

XVI. Cic. ad Div. 7. 33. 1. *Ut etiam si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus quod haec pinnigero non armigero in corpore tela exerceantur, ut ait Philoctetes apud Accium, abiecta gloria.*

XVII. Vide fr. II.

XVIII. Non. p. 179. 32. *Tetritudo. Accius Filoctita: quod te obsecro ne haec aspernabilem tetritudo mea in occulto faxit.* (*Philocteta* 1526 I. M. — *meam occulta* ante A. — *mea in occulto* 1526 I. M.) Herm. restituit sic: *O. t. o. adspernabilem Ne haec tetr. mea me inculta faxit.*

Ne haec tétritudo méa in occulto fáxit me aspernábilem.

118 XIX. Contémpla hanc sedem in qua égo novem hiemes sáxo stratus pértuli.

De progressu et summa huius colloquii Dio l. c. ita loquitur: *Καὶ μὴν ἡ ἀπάτη ἡ τοῦ Ὀδυσσέως πρὸς τὸν Φιλοκτήτην καὶ οἱ λόγοι δι' ὧν προςηγάγετο αὐτὸν, οὐ μόνον εὐσχημονέστεροι, ἥρωϊ πρέποντες, ἀλλ' οὐκ Εὐρυβάτῃ ἢ Παταικίωνι* (Euripidis), *ἀλλ' ὡς ἐμοὶ δοκοῦσι, καὶ πιθανώτεροι· τί γὰρ δεῖ ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς πρὸς ἄνδρα νοσοῦντα καὶ ταῦτα τοξότην, ᾧ εἴ τις μόνον ἐγγὺς παρέστη ἀχρεῖος ἡ ἀλκὴ αὐτοῦ ἐγέγονει; καὶ τὸ ἀπαγγέλλειν δὲ τὰς Ἀχαιῶν συμφορὰς καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα τεθνηκότα καὶ τὸν Ὀδυσσέα ἐπ' αἰτίᾳ ὡς οἷόν τε αἰσχίστῃ, καὶ καθόλου τὸ στράτευμα διεφθαρμένον οὐ μόνον χρήσιμον ὥστε εὐφρᾶναι τὸν Φιλοκτήτην καὶ προςδέξασθαι μᾶλλον τὴν τοῦ Ὀδυσσέως ὁμιλίαν ἀλλ' οὐδ' ἀπίθανον τρόπον τινὰ διὰ τὸ μῆκος τῆς στρατείας καὶ διὰ τὸ συμβεβηκότα οὐ πάλαι κατὰ τὴν ὀργὴν τὴν τοῦ Ἀχιλλέως, ὅθ' Ἕκτωρ παρὰ σμικρὸν ἦλθεν ἐμπρῆσαι τὸν ναύσταθμον.*

Enarrasse Ulixem etiam armorum iudicii eventum vix negaveris; nam verba:

119 XX. 'Eheu Mulciber árma ignavo invícta es fabricatús manu!

Philoctetae ad illam rem respondentis exclamatio sunt. Sicut apud Sophoclem, ita in Aeschyli Attiique tragoe-

---

XIX. Non. p. 469. 31. *Contempla. Accius Filocteta: c. h. s. i. q. e. n. h. taxo str. p.* (*ego navem* W. princ., etiam in L *a* suprascs. — *saxo* edd.) Decimo anno, non post decem annos Troia expugnata est aestate, quare hic de *novem hiemibus* sermo est. Soph. Philoct. 312. 1240 coll. 533 sq. — Forma activa *contemplo* utitur et Plautus aliique.

XX. Macrob. Sat. 6. 5: *Et discinctus Mulciber Afros. Mulciber est Vulcanus, quod ignis sit et omnia mulceat ac domet. Actius in Philoctete: Heu M.* —— *Manu i. e. manu propria.* — Cf.: Tela manibus fabricata Cyclopum Ov. Met. 1. 259.

diis impetus ulceris dolorum videtur virum corripuisse. Hanc enim extra dubium Philoctetes lamentationem edit:

120 XXI. Heu quís salsis fluctíbu' mandet
Me ex súblimi vertíce saxi
Iamiam ábsumor: confícit animam
Vis vólneris ulceris aéstus.

Idem postquam Ulixem agnovit obnixe eius cogitationibus reluctatur primo; mavult in terra

121 XXII. Sub áxe posita ad stéllas septem, ubi hórrifer
Aquilónis stridor gélidas molitúr nives,

mortem oppetere, quam ad Graecos proficisci. Postremo tamen precibus promissionibusque Ulixis et chori admonitionibus placatus ad Argivorum conditiones descendit atque mentem ad profectionem adpellit. Chorum, qui abducturus est eum, ita admonet:

122 XXIII. 'Agite, ne vulnus neí succusset gréssus, caute ingrédimini.

XXI. Cic. Tusc. 2. 7. 19 (cf. fr. IX.) *Itaque exclamat* (Phil.) *auxilium expetens, mori cupiens:* —— (*sublimo* codd. aliq.)

XXII. Interpr. Maii ad Virg. Ae. 8. 28. *Sub aetheris axe, sub deo* (*dio*). *Accius in Philocteta*: *sub axe positum unde horridus A. st. g. m. n.* Id. fr. ap. Cic. Tusc. 1. 28. 68. *Quarum altera* (ora globi) *quam nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem unde horrifer A. st. g. m. n.: altera Australis* cett. Non. p. 346. 18. *Moliri est facere - - Moliri exstruere dictum a molibus. - - Accius Filoctete*: *ubi horrifer aequisoni stridor g. m. n.* (*filocteta; ubi horris terras qui soni stridor* B. — *horrifer equisoni* mg I. — *horriferae et soni* AI.) Censorin. N. D. p. 2726. — Male interpres Maii nostrum fragmentum cum loco illo Virgiliano comparat; non enim hic *sub axe* significat sub dio, sed axis posita est pro septemtrione sive polo aquilonari. Ita etiam Virg. Georg. 2. 271; 3. 351; Ovid. Pont. 4. 7. 1.

XXIII. Non. p. 16. 28. *Succussare est susum frequenter excutere. Accius Filocteta*: —— (*nec* codd.) *Nei* prisce pro ne; Orell. inscriptt. 3121.

IV. ANTENORIDAE.

Cf. Welcker. tr. Gr. p. 166 sq. Schoell. Beiträge p. 437 sq.

Solius Sophoclis ex tragicis Graecis citatur fabula huius nominis et ex ea Attium hausisse argumentum vix dubium intercedere potest. Sed quum fragmenta pauca sint et exigua (ex Sophocle unus tantummodo sincerus senarius servatus est, isque nullius indicii), argumentum difficillimum est exploratu. Una ex parte certum est ex argumento Sophoclis Aiacis, fabulam fuisse *Τρωϊκῆς πραγματείας*, altera, Antenoris filiorum res gestas minores esse, quam ut tragoediae argumentum praebere potuerint. Novissimus Sophoclis fragmentorum editor Ahrensius (ed. Didotiana) p. 274 exposuit, ut nobis quidem videtur, de summa huius fabulae et simpliciori et verisimiliori modo, quam Bothius, Welckerus, Schoellius. Maxime errasse censeo Schoellium, qui Nyctegresiam cum Antenoridis coniungere studuit. Est autem sententia Ahrensii, argumentum Antenoridarum in evasione Antenoris eiusque filiorum ex Troiae incendio et cum Henetis in Venetiam profectione versatum esse. *Τὸν μὲν οὖν Ἀντήνορα καὶ τοὺς παῖδας μετὰ τῶν παραγενομένων Ἑνετῶν εἰς τὴν Θρᾴκην περισωθῆναι· κἀκεῖθεν διαπεσεῖν εἰς τὴν λεγομένην κατὰ τὸν Ἀδρίαν Ἑνετικήν.* Polyb. 2. 17. 6: *Περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον καὶ πολλὴν διατίθενται τερατείαν.* „Troia capta" inquit Ahrensius l. c. „in qua Antenor Graecos multum adiuvit" (Eustath. p. 405: *Σοφοκλῆς ἱστορεῖ ἐν ἁλώσει Ἰλίου παρδαλέην τῆς θύρας προτεθῆναι τοῦ Ἀντήνορος σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν*) „quid mirum fuit, quando de captivis de iisque qui hostibus auxilio fuerant, a Graecis quid iis faciendum esset, constituebatur, si Antenoridae praemia poscerent urbemque instaurandam peterent, cuius una illa domus inco-

lumis remansit? — — Quocirca credibile est, maiorem tragoediae partem in iudicio Antenoridarum, utrum in agro Troiano relinquendi praemiisque afficiendi essent, an expellendi in aliam terram, versatam esse. Duces quum beneficiorum acceptorum memores nihil de iis constituissent, a populo, qui Antenoridas in hostium loco habuit causa diiudicata fuisse videtur. Hac ratione omnia egregie conveniunt. Antenor Troianus fuit ideoque hostis; Graecis auxilio fuit, ideoque amicus. Ducum igitur pares sententiae; populus autem non curat beneficia in potentiores collata. Non cum Graecis Antenor e patria proficiscitur, a quibus iniuria se affectum conqueri potuit, non cum Aenea Troianisque, quibus invisus fuit, sed cum Venetis, quibus, quum auxilium Troianis laturi venissent, ut Troianus, amicus fuit neque invisus, quia certaminis participes non fuerant. Necessario autem hi in tragoediam introducebantur, ut cognosceretur, cur Antenor cum filiis in remotissimum maris Adriatici sinum sese conferret."

Ita egregie Ahrensius. Sed non bene unum neglexit, quod cothurno optime convenit et ad totum argumentum praecipueque περιπέτειαν graviorem reddendam magni est momenti. Interitum Pylaemenis ad Troiam dico, ducis Henetorum. Liv. 1. 1: *Casibus deinde variis* (constat) *Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi et sedes et ducem, rege Pylaemene ad Troiam amisso, quaerebaut venisse in intimum maris Hadriatici sinum* cett. Iam vero quum Heneti ad Troiam non pugnaverint, facilis est coniectura, ducem sua ipsius manu interiisse, saltem apud poëtas ita fuisse traditum. Quibus rebus deliberatis duas crediderim Antenoridarum partes aequales fuisse, quarum prior continuerit adventum Henetorum, nuncium de Troiae expugnatione et Pylaemenis mortem; posterior iudicium illud Graecorum et profectionem Antenoridarum Henetorumque. — His praemissis fragmenta facile intelliguntur.

Aulaeo presso Pylaemenes scenam ingressus exposuisse videtur, cur hoc ipso tempore ad hanc terram appulerit. Enarrat quaenam mala passus cum suis patriam relinquere debuerit. Dein nimis gloriabundus:

123 I. Namque húc advenio ut méa ope opes Troiae
íntegrem.

Multa etiam iactat de ipsius suorumque fortitudine, qua facile hostibus terrorem incussuri sint:

124 II. Fortásse an sint, quós hic non mertét metus?

Magis magisque effervescit in dicendo, quod iam numeri versuum indicant:

125 III. — Quin aut illorum cópias
Fúndam in campo aut návis uram aut cástra
mactabo ín mare.

Dum sese parant Heneti ad urbis ingressum nuncius accurrit:

126 IV. Séd quis hic est qui mátutinum cúrsum huc
celerantér rapit?

Hic mortem Pylaemenis intextam fuisse opinor. Dux, qui paullo ante tam gloriose de se praedicaverat, nunc nova fortunae vicissitudine ultima salutis honorisque spe orbatus, quum patria amissa nesciat, quo sese vertat, quin etiam timere coactus sit ne Graecorum captivus fiat, tanta corripitur desperatione, ut a vita inhonesta

---

I. Non. p. 227. 2. *Integrare redintegrare - - Accius Antenoridis: n. h. invenio u. m. o. o. Trogae i.* (*Namque hucc* ante M. — *togae* ante M.) *Invenio* pro advenio nusquam locum habet.

II. Non. p. 133. 32. *Mertaret, mergeret. Accius Antenoridis: fortassean sit, quos h. n. m. m.* (*sid quod* LAI.) Cf.: Mertat pro mersat dicebant. Festus p. 124.

III. Non. p. 341. 16. *Mactare praecipitare. Accius Antenoridis: qui aut* —— (*quievit illorum copias* B. — *quia aut* mg I.)

IV. Non. p. 513. 23. *Celeranter pro celeriter. Accius tenoridis:* —— (*Antenoridis* edd. — *c. capit.* ms. Palat. princ.) Cf.: Rapere cursum. Lucan. 5. 403, viam. Ovid. Her. 19. 74, iter. Sil. 12, 471., gressus. Lucan. 3. 116.

abhorrens mortem ipse sibi consciscat. Heneti, ne duce careant, ad Antenoris postea auctoritatem se conferunt a quo etiam denominantur (cf. Serv. ad. Virg. Ae. 1. 142: *Hi autem* [Patavini] *primis temporibus dicti sunt ab Antenore Antenoridae.*) Non mirus est igitur argumenti titulus, dummodo chorus ex Antenoridis (et Henetis) constabat. Agamemnoni ut ducum principi conveniunt:

127 V. — Ad populum intéllego
Referúndum quoniam horum aéquiter senténtiae
Fuére —

V. ASTYANAX sive TROADES.

Cf. Düntzer. in Zimmermanni Zeitschrift f. Alt. W. 1837 p. 48 sq. Welcker. tr. Gr. p. 173.

Achivi, quum Troiam cepissent et devastaturi essent, timentes, ne quis postea regiae stirpis regno recuperato et urbe de integro aedificata ultum iret eversionem patriae, ut Calchas vaticinatus erat (Serv. ad Virg. Ae. 11. 457.), consilium ceperunt prolem Priami exstirpandi et Astyanactem Hectoris et Andromachae filium de muro praecipitaverunt. Cf. Hygin. f. 109. Ulixes eum deiecisse traditur a Serv. ad Virg. Ae. 3. 489, Menelaus vel Pyrrhus a Tzetz. ad Lycophr. 1263. Nihil aliud de Astyanacte ex veterum scriptoribus compertum habemus, quod ad hanc tragoediam pertinere possit. Illud enim, quod nonnulli mythographi (Serv. ad Virg. Ae. 9. 264 coll. Ciofan. in ed. Burm. Ovid. Metam. 13. 415) tradunt, Hectoris filium postea regnum Troianum tenuisse, quominus ab Attio arreptum esse statuatur, impedit

---

V. Non. p. 512. 20. *Aequiter pro aeque. Accius Antenoridis*: — — —. Deest participium aliquod perf. pass. v. g. dictae, latae.

fragmentorum sensus; in illa igitur Hygini narratione subsistendum est. Hanc quomodo Euripides Troadibus intexuerit, ex fabula illa superstite hucusque cognosci licet; qui vero Sophocles eam in Captivis tractaverit, per paucitatem fragmentorum ex illis servatorum nescitur. Nostrum non imitatum esse Euripidem eo affirmatur, quod ad fragmenta latina nulli Euripidis versus respondent; quare Sophoclem expressisse statuimus, ut Welckerus iam vidit.

Si recte ita de summa argumenti iudicavimus, permirum est et singulare, tragoediam denominatam esse a persona muta; Astyanactem enim infantem tunc temporis puerulum loquentem a poëtis introductum non esse Euripidis in Troadibus exemplum satis docet. Sed huius rei causa facile perspicitur: nam circum Astyanactis mortem universa tragoedia versatur ita quidem, ut quae antecedant et quae subsequantur, maxima ex parte inde efficiantur. Accedit, quod alterum etiam habebat tragoedia titulum. Nam cum duo exstent Attii fragmenta (IV, V.; Bothii fr 2. ex Diomede perperam illic legitur), quae sub nomine Troadum citantur, in promptu est coniectura, argumentum fabulae ita inscriptae haud diversum fuisse ab illo Euripideo, cui idem obtigit nomen, quodque Astyanacti tribuendum censuimus. Quod vero Attius appellationem Sophocleam non asciverit propterea factum esse puto, quod Aechmalotidum vox ad Romanorum aures minus conveniebat, quam nota iam Troadum; observandum est enim Attium argumentis Graecis nunquam latinos titulos inscripsisse (Epinausimache Nyctegresia, Persis [vulgo Persidae; vide infra], Stasiastae) dummodo exceperis Armorum iudicium, cui argumento iam Pacuvius latinam appellationem indiderat.

Ut apud Euripidem, ita apud nostrum quoque praeco Talthybius captivis videtur nunciasse, quamnam quaeque sortem sit sortita. Pergit:

128 I. Nunc ín consilio id réges Argivum aúcupant
Id quaérunt,

num Astyanactem vivum relinquant, quum Calchas Priami prolem plane interimi iusserit. Cui Andromacha:

129 II. Nihil crédo auguribus, qui aúris verbis dívitant
Aliénas, suas ut aúro locupletént domos.

Conquerentes deinde mulieres captivae reminiscuntur molis malorum, quibus obruantur; exsecrantur Graecorum exercitum:

130 III. Qui nóstra per vim pátria populavít bona.

Imprimis commiserantur fortunam reginae Hecubae:

131 IV. Noctúrna saxo frúges frendas tórridas.

Cf. Eurip. Troad. 491 sq (197 sq.). Verisimile est, Cassandrae etiam partes fuisse in hac tragoedia (quae eadem apud Euripidem v. 308 prodit et furore Apollinis correpta mala Graecis futura vaticinatur v. 359 sq.), ut eius sint verba naufragia Graecorum (cf. Hom. Od. 3. 286 sq., 4. 498 sq. 5. 291 sq., 9. 67 sq. et all. ll.) praesignificantis:

I. Non. q. 467. 17. *Aucupavi activum positum pro passivo - - Accius Astyanacte:* —— (*auriguum* g comp. W.) *Consilium* significatione concreta pro concilium est ap. Liv. 25. 31. (consilio advocato) all. ll.

II. Non. p. 95. 7. *Divitant pro divites faciunt. Accius Astyanacte:* —— Gell. 14. 1. 36: *Attianum illud: Nihil, inquit, credo a. q. aures v. d. A. s. u. a. l. domos.* (*domus* Guelf. et edd. ante Iunt. Steph.) Soph. Antig. 1055: Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος. Cf. Ennii Telam. fr. 11.

III. Non. p. 461. 21. *Populat est et passivum populatur - - Accius Astyanacte:* —— (*nostram* W. — *populabundus* AlM.)

IV. Serv. ad Virg. Ae. 1. 179. *Accius Troadibus: Nocturna fruges franges torridas* (*nocturnam* cod.) Non. p. 447. 20. *Fremere et frendere hoc disparantur quod est fremere magnum sonare - - Frendere alicubi cum gemitu vel iracundia miseram aut minax sonare - - Accius Troadibus: saxo fruges frendas.*

132 V. Sed útrum terrae mótus sonitusne ínferum
Pervásit aures ínter tonitra et túrbines?

Hecubam audimus:

133 VI. Utinam únicam mi antístitam arquitenéns suam
Tutétur!

et eandem:

134 VII. Abdúcite intro, nám mihi miseritúdine
Commóvit animum excélsa aspecti dígnitas.

Ulixes et Menelaus nuntiatum veniunt, Graecorum principes mortem Astyanactis decrevisse. Sed Andromache quae filium clanculum ablegavit et occultavit, latibulum eius prodere recusat, hostes ad misericordiam adducere studens. Hectorem quoque, ait, clementem semper et misericordem etiam adversus hostes fuisse:

135 VIII. Troía est testis; quaére ex aliis qui íllius miseritúdine
Nómen clarum in túmuli saxo múltis memorant vocibus.

Sumite vobis, pergit, reliqua omnia, quae possedimus, quaecunque

136 IX. — In celsis móntibus

V. Prisc. de m. Ter. 6. 4. 20. *Attius in Troadibus*: *S. u. terraemotus sonitusve* ——. Soloecismum lectionis *sonitusve* vidit Bothius. Habent poëtae: tonitrus (4tae decl.), tonitru, tonitruum, tonitrum.

VI. Non. p. 487. 18. *Antistitam. Accius Astyanacte*: *u. u. mihi* ——.

VII. Non. p. 485. 21. *Aspecti pro aspectus. Accius Astyanacte:* ——

VIII. Non. p. 136. 17. *Miseritudine pro miseria vel misericordia Accius Astyanacte: T. e. t. q. e. a. q. i. miseritudinem N. c. i. humili s. m. m. v.* (*miseritudine* ante AIM.). Iunge: *nomen miseritudine clarum.* Cf.: Memorare significat nunc dicere nunc memoriae mandare. Fest. p. 124.

IX. Non. p. 159. 8. *Pecua et pecuda, ita ut pecora, veteres dixerunt. Accius Astyanacte*: *i. c. m. P. a. i. c. p. D. in Froegiaet terminis* (*in Phrygiae terminis* mg IM.)

Pécua atque inter cólles pascunt Dánai in Phrygiae términis.

Sequitur inquisitio Astyanactis et quicunque eum reperit ita interrogatur a Menelao vel Ulixe:

137 X. — Iteris; ín quibus
Pártibus (namque aúdire volo, si ést quem exopto) et quó modo
Cáptus? Fortunáne an forte repértus?

Respondentis sunt:

138 XI. Híc per matutínum lumen tárdo propero dúm gradu,
Dérepente aspício ex nemore pávidum et properantem égredi.

Puerum avellunt e complexu matris et tradunt alicui interficiendum. Ita Agamemno mortis Achillis, Patrocli et tot aliorum virorum nobilium poenas repeti a Troianis iussit:

139 XII. Ferúm feroci cóntundendum império et saevum saéviter.

X. Non. p. 425. 8. *Fors et fortuna hoc distant: fors est casus temporalis, fortuna dea est ipsa. Accius Astyanacte: i. i. Quibus p.* (*n. a. v.*) *S. e. q. e. et quo captus modo Fortunane an f. repertur.* (*quum eyopto* W. ante A. — *reperitur* edd.) — *Iterare,* nunciare, referre. Cf.: Haec ubi Telebois iterarunt Plaut. Amph. 1. 1. 56. — Metrum vulgo anapaesticum esse putaverunt.

XI. Non p. 518. 11. *Derepente - - Accius Astyanacte: h. p. m. l. t. properantem g.* ——. Oxymoron loci eo redit, quod quo tardius i. e. circumspectius quaerebatur, eo citius investigatio conficiebatur. Cf.: τοιαῦθ' ἑλίσσων ἤνυτον σχολῇ ταχύς. Soph. Antig. 231.

XII. Non. p. 511. 3. *Saeviter pro saeve - - Accius Astyanacte: f. f. c. imperisit s. s.* (*contundendum saeviter. Saevum pro saeviter* ante M. — *cont. vi permisit* mg I.) Fortasse legendum *imperavit* (trisyllab.) Cf.: Contundere populos feroces Virg. Ae. 1. 264. Liv. 27. 2.

XIII. Non. p. 172. 6. *Satias pro satietas. Accius Astyanacte: q. c. n. u. e. satietas s.* (*satias* edd.) Cf.: Explere libidinem Cic. Cael. 20. 49, explere odium Liv. 4. 32. 12.

Illa Graecos exsecratur,

140 XIII. Quorúm crudelitátem nunquam ulla éxplet satias sánguinis,

et Helenam conviciis compellat

141 XIV. Te própter tot tantásque habemus vástitates fúnerum.

Unius quod restat fragmenti verba:

142 XV. Nam ad aúspicem redeó num fata désissent exércitum
Mórari nec me ab dómuitione arcérent obsceno ómine.

Menelao vel Agamemnoni tribuenda censeo, qui sepultis mortuis Calcham de reditu in patriam est consulturus.

VI. HECUBA.

Cf. Welcker. tr. Gr. p. 1387.

Uno tantummodo loco unius fragmenti causa laudatur Attii Hecuba:

143 Vetér fatorum términus sic iússerat*)

XIV. Non. p. 417. 11. *Vastitas significat vastationem. Accius Astyanacte: propter tot t. h. v. f.*

XV. Non. p. 357. 7 *Obscenum est immundum - - obscenum vitabile - - Accius Astyanacte: hunc aicaispinem regionum fac ac desisset exercitum morari nec me ab domuitione marceretu obsceno homine* (*aciaspinem* B. H. — *altispicem* R. — *fac desistat exerc.* M. — *marceretur* I. — *arceretur* mg I.) Cf.: Apud antiquos omnes fere obscena dicta sunt, quae mali ominis habebantur. Festus p. 201.

*) Prisc. de arte gr. 6. 15. 50: *Attius in Hecuba:* — „Longe discedit a Vulgata lectione Erl. 1. *citius erat provectus*, Lips. 1. *proventus*. Equidem nihil mutandum esse putavi cum libri et scripti et editi consentiant“ Krehl.

quod dictum videtur de excidio Troiae. Nam verba, quae coll. Eurip. Hec. 592 Welckerus huc transtulit ex Cic. Tusc. 2. 5. 13:

Probae etsi in segetem sunt deteriorem datae
Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent.

Ennii esse iudico, quem constat Euripidis fabulam cognominem expressisse. Cf. Ennii fragm. ed. Hessel. p. 242 sq. Illud, quod Ennii iam exstabat Hecuba Euripidea, opinionem dissuadet, Attium imitatum esse eundem. Locus Ciceronis in libris ita legitur: *Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud ac improbe: Etsi in seg. — — enitent; sic animi non omnes culti fructum ferunt.* Qui cum corruptus videatur, viri docti auctore Mureto legendum censuerunt: *falsumque illud Attii; Probae etsi;* sed emendandum potius est: *f. illud Ennii.*

EXCURSUS II.

Cic. de divinat. 1. 20. 40. *Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poëtarum? narrat enim apud Ennium Vestalis illa.*

Excita cum tremulis cett

(Versus citantur ex Annalibus. Hessel. p. 123.).

Haec etiamsi ficta sunt a poëta non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus:

Quia mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba; quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio, mortis metu
Perculsus curis sumptus suspirantibus
Exsacrificabat hostiis balantibus
Tum coniectorem postulat, pacem petens
Ut se edoceret obsecrans Apollinem

Quo sese vertant tantae sortes somnium.
Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus temperaret tollere:
Eum esse exitium Troiae pestem Pergamo.

Sint haec ut dixi, somnia fabularum — — Sed propiora videamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Accii loquitur ipse cett.

Bothius (inc. incertor. 3.) et eum secutus Orellius versus illos, quos exscripsimus, ex Attii Hecuba depromptos esse iudicaverunt; sed certissimum mihi videtur, eos potius Ennii Alexandro tribuendos esse, quo teste Varrone L. L. 7. 82 Euripidis fabula cognominis expressa erat. Primum non est praetermittendum, ipsum Ciceronem iam indicare versus esse Ennianos; nam non solum extemplo post fragmentum Ennii Annalium inseruntur, sed etiam paullo post, ubi versus afferuntur ex Bruto Attii, hunc Cicero nominatim exhibet, quod certe non fecisset, si versus praecedentes ex eiusdem tragoedia aliqua desumpti fuissent. (Cf. Orat. 46 all. ll.) Tum vero gravius argumentum offert Hygini fabula 91, qua extra dubium fere ponitur, Alexandri cuiusdam tragoediae esse illud fragmentum, quem nullum Latinum poëtam, nisi Ennium, edidisse constat. Hyg. l. c: *Alexander. Priamus Laomedontis filius quum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae, Cissei sive Damantis filiae uxor eius praegnans in quiete vidit, se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exiisse. Id visum omnibus coniectoribus quum narratum esset, imperant, quidquid pareret, necarent ne id patriae exitio foret. Postquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus; quem satellites misericordia exposuerunt* cett.

Iidem viri docti fragmenta Hecubae Attianae habent versus, qui sine nomine poëtae in eodem Ciceronis de divinatione libro paullo post leguntur

a) 1. 31. 66. (Both. inc. incertor. 4.):

(Hec.) *Sed quid oculis rabere visa est derepente ardentibus?*
Ubi illa paullo ante sapiens, virginali modestia?
(Cass.) *Mater, optumatum multo mulier melior mulierum*
Missa sum superstitiosis hariolationibus:
Nam me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vero aequales, patri' mei, meum factum pudet,
Optumi viri. Mea mater tui me miseret, mei piget;
Optumam progeniem Priamo peperisti extra me;
hoc dolet
Med obesse, illos podesse, me obstrare, illos obsequi

b) ibid. 31. 67 (Both. l. c. 5):
Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio;
Multos annos latuit; cives, ferte opem et restinguite

Deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur:

c) (Both. l. c. 6):
Iamque mari magno classis cita
Texitur; exitium examen rapit
Advenit, et fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' littora

d) ibid. 50. 114 (Both. l. c. 7):
Heu heu videte! iudicavit inclytum
Iudicium inter deas tres aliquis,
Quo iudicio Lacedaemonia
Mulier, furiarum una, adveniet.

Sed hic quoque errant Bothius Orelliusque. Apertum est, Cassandram loqui de futura Troiae interitu per Paridem. Ubi vero talis vaticinatio in Hecuba collocatur? Nusquam certe, nisi statueris totum eius argumentum ante bellum Troianum cadere, quod mythis et tragoediis repugnat. Immo etiam haec fragmenta Enniana sunt ex eodem Alexandro. Nam in postrema eius fabulae parte Cassandra patefecit parentibus originem Paridis (Hygin. l. c.: *quod quum Cassandra vaticinaretur eum fratrem esse, Priamus eum agnovit regiaque excepit*), cui rei sponte sese adiungebant vaticinationes malorum, quae propter Paridem Troia esset subitura. Cf. Ennii versus apud Macrobium Sat. 6. 2 et Eurip. fr. Alexandri 63 (Dindorf.)

IV. Ilii excidium.

DEIPHOBUS sive PERSIS.

Cf. Welcker tr. Gr. p. 159 sq; idem de Perside agit Mus. Rhen. 1837 p. 466 sq.

Ex iis, quae sub nomine Deiphobi citantur fragmentis, quamvis perpauca sint et exigua, colligi par est, Troiae expugnationem per dolum equi ab Epeo ex ligno constructi in hac tragoedia actam esse (fr. I. II.). Actam, non narratam tantummodo, nam fr. II vix alius, quam piscator aliquis, qui Sinonem in ulva latentem repererat, locutus esse potest; hunc vero tam magni momenti personam in fabula fuisse, ut prologo omnes in excidio Troiae res gestas exponeret, omnino non concesseris. Iam vero consentaneum quoque est, ut statuas, de Deiphobo eminentius aliquid actum esse, quod in ipsum excidii tempus cadat.

Apud Homerum Od. 4. 274. sq., ubi Menelaus Helenae narrat, se et socios huius dolo paene ipsos se prodidisse in equo ligneo consedentes, haec sunt:

Ἦλθες ἔπειτα σὺ κεῖσε· κελευσέμεναι δέ σ' ἔμελλεν
δαίμων, ὃς Τρώεσσιν ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι·
καί τοι Δηΐφοβος θεοείκελος ἕσπετ' ἰούσῃ. κ. τ. α.

Eustathius: *φασὶ δὲ αὐτὸν (Δηΐφοβον) θανόντος Πάριδος ἀγαγέσθαι τὴν Ἑλένην, ὡς τῶν περιλειφθέντων ἀδελφῶν κρείττονα· ὃ καὶ Μενέλαος δηλοῖ θεοείκελον ὀνομάσας αὐτόν· οὐ γὰρ ἔχει κρύπτειν τὸ ἀληθές.* Tzetz. ad Lycophr. 143 dicit, Deiphobum Helenam in matrimonium accepisse *ἀριστεύσας κατὰ πόλεμον καὶ ταύτην ὡς ἀριστεῖον κατά*

τινας λαβὼν, ἢ βίᾳ κατ' Εὐριπίδην (Troad. 958) Cf. id. ad v. 168. Dictys Cret. 4. 22. Postquam deinde Graeci urbem ceperunt, Helena Menelaum coniugem olim suum in Deiphobi cubiculum introduxit (Virg. Aen. 6. 526 sq.):

Scilicet id magnum sperans fore munus amanti
Et famam exstingui veterum sic posse malorum;

ubi hic somno oppressus crudeliter prius ob illo more veterum laniatur, dein interficitur. Cf. Virg. Aen. 6. 494 sq. Dict. Cret. 5. 12. Aliter paullum Quintus et Tryphiodorus rem narrant; apud illum Helena occultata sed a Menelao reperta cogitur, ut Deiphobum prodat; apud hunc Deiphobus sese defendit.

Respondes, maiorem esse hanc mythorum copiam, quam quae una eademque fabula comprehensa fuisse videatur; et hoc iure quidem mones, si ad aestheticam, quam dicunt, artem spectas. Iam vero testis est Aristoteles ipsos Graecos hunc in errorem incidisse, vituperans illud ipsum, de quo agimus, in Ἰλίου πέρσισιν. Χρὴ δὲ, inquit Poët. c. 18 p. 1456. 10, ὅπερ εἴρηται πολλάκις, μεμνῆσθαι καὶ μὴ ποιεῖν ἐποποιικὸν σύστημα τραγῳδίαν· ἐποποιικὸν δὲ λέγω οὐ πολύμυθον, οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιεῖ μῦθον· ἐκεῖ μὲν γὰρ διὰ τὸ μῆκος λαμβάνει τὰ μέρη τὸ πρεπὸν μέγεθος ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει. Σημεῖον δὲ, ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος (ὥσπερ Εὐριπίδης Νιόβην καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος), ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται, ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν ἑαυτῷ μόνῳ· ἐν δὲ ταῖς περιπετείαις καὶ ἐν τοῖς ἁπλοῖς πράγμασι στοχάζονται ὧν βούλονται θαυμαστῶς· τραγικὸν γὰρ τοῦτο καὶ φιλάνθρωπον. Si per se iam minime alienum apparet, Attium huiusmodi quoque fabulam Graecam imitatum esse, tum maiorem haec acquirit coniectura probabilitatem, dum Livii Andronici et Naevii tragoedias, quae equi Troiani inscriptionem prae se ferunt, contuleris, si quidem Hyginus, quod vix dubitari potest, fabula 108

earum argumenti summam expressit. Primaria repugnans opinioni nostrae causa in nomine Deiphobi quaerenda esset; hanc vero sustulerit iam cogitatio, ita tragoediam elaborari potuisse, ut ea, quae supra de Deiphobo allata sunt, eminuerint, et ipse Deiphobus tanquam Helenae coniux et post Hectorem Priamumque mortuos Troianorum princeps fuerit persona primaria. Adiuvat autem nos alia etiam causa eaque haud parvi ponderis ad totam quaestionem diiudicandam. Apud Priscianum de metr. Ter. 2. 15 Attii fragmentum citatur ex Persidis (fr. III). Hoc vero tragoediae nomen in tota antiquitate nusquam reperitur et hac re etiam neglecta, argumentum Persidarum unde desumeretur, nulla esset in promptu probabilis coniectura. Ea de causa iam Welckerus coniecturam in Perside commendavit et mihi quidem stat sententia optime eum et verissime hoc fecisse. Ita ne nomen quidem Graecum defuit, quum tragoedia duos habuerit titulos, Deiphobum et Persidem.*)

Quaenam fuerit tragoediae dispositio et adornatio, prorsus nobis latet; quum apud epicum poëtam nox intercedat inter Deiphobi mortem et introductionem equi lignei, initium fabulae fortasse fuit ineunte nocte, finis appropinquante die, ut Euripidis Rhesi et nostri Nyctegresiae. Utrum Attius aliquem ex iis, quorum laudantur Persides (sunt Agathon, Iophon, Cleophon, Nicomachus) imitatus sit, nec ne, haud facile divinaveris. Fragmenta autem ita ordinanda et explicanda censuimus:

144 I. Minérvae donum armípotenti Danai ábeuntes dicánt.

---

*) Ne analogia careamus plena, addendum est, Wagnerum (poëtt. tragg. Graec. fragm. p. 102.) Nicomachi Persidem et Polyxenam diversas non habere fabulas, sed item duo eiusdem fabulae nomina.

I. Serv. Dan. ad Virg. Ae. 2. 17: *Accius in Deiphobo inscriptum dicit:* ——. Cf. Hygin. fab. 108: Et in equo scripserant: „Danai Minervae dono dant.“

Verba haec, equo inscripta retulit aliquis de Graecorum abitu exponens. Sinon adducitur a piscatore, qui eum reperit:

145 II. Eo ánte nocte, exténta retia út proveherem et státuerem
Forte áliquanto quam sólitus lembo súm progressus lóngius.

Sinon, cui initio parum confiditur, admonitus ne falsa loquatur, respondet:

146 III. Satin' út quemcunque tríbuit fortuna órdinem
Nunquam úlla humilitas íngenium infirmát bonum.

Quae verba huc traxi recordatus loci Virgiliani (Ae. 2. 79):

—— *Nec, si miserum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Dein nuncius allatus sit de Laocoontis tristi interitu (Virg. Ae. 1. 201 sq.) Poëta tragicus fortasse finxerat, illum Sinoni antea maledixisse, ita ut eius mortem Minervae poenam esse perhibere aliquis potuerit:

147 IV. Vel híc qui eum ante effrénata impudéntia
Praeséntem praesens díctis mertare ínstitit.

Post Troiae expugnationem superbiens aliquis Graecus:

148 V. Nós continuo férrum eripimus ómnibu' manicas néximus.

II. Non. p. 534. 2. *Lembus navicula brevis piscatoria. Accius Deifoebo: eo. a. n. externa r. u. praev. et st. solitus l. s. p. l.* — *Quam* cum Bergkio addidi metri et sensus causa. Ceterum alii coni: *ego ante* (*autem*) *nocte* (*noctem*) *hesterna* (*extrema*, — *mam*) - - *solito* - -.

III. Prisc. de metr. Ter. 2. 15. *Attius - - Idem in Persidis: S u. quem cuique t. f. o.? Nunq.* ——. *Satin 'ut* pro nonne ap. Plaut. Merc. 2. 4. 13. Mil. gl. 4. 3. 41.

IV. Non. p. 139. 2. *Mertaret, mergeret. Accius - - Idem Deifobo: vel hic, qui me a parte* ——. (*qui in ea parte* edd.) *Institit*, studuit; cum infinit. (vulgo sequente ut vel ne) ap. Cic. Verr. 2. 3. 59.

V. Prisc d. a. g. 9. 6. 33. *Nexo quoque nexas vel nexis, ut Probo placet, nexui - - Attius in Deiphobo:* —— Idem fr. ibidem

De colloquio Menelai cum Helena et morte Deiphobi nil habemus in fragmentis. Finita esse poterat tragoedia querelis mulierum captivarum. Hecubae tribuo:

149 VI. Aút infando hominí gnato Laérta Ithacensi ex ínsula
Quí neque amico amícus unquam gráve, neque hosti hostís fuit.

Supple: ego, regina quondam, morem gerere cogar.

---

10. 8. 48. et Eutych. de disc. coniug. 2. 17. *Nexo enim tam nexas invenitur - - quam nexis, ut Accius in Deiphobo:* ——

VI. Non. p. 314. 19. *Grave gravidum - - Grave multum, valde significare veteres probant. - - Nam et graviter multum intelligitur.* - *Accius Deifobo*: *aut infando homine gnato Laerata Ithacenase exsule, q. n. a. a. u. gravis n. h. h. f.* (*gnatae laerat ait hac enase exule quinque* W. — *aut arena si ex sole qui neque* AI. — *lerata Ithacense se ex exule* B. — *ait a cena se ersule quinque annos amicos - - neque hostis fuit* mg I.)

Corrigenda et addenda.

Pag. 8 lin. 7 pro Quin lege Qui.
— 12 — 11 — 30 — 50.
— 12 — 13 lege *poëta indoctus fuit illorum temporum.*
— 13 — 2 pro *Briseum* lege *Brisaeum.*
— 15 — 5 adde colon post volo.
— 15 in fine notae ad fr. IV lege: Emendavi cum Hermanno ex Homero.
— 17 Notae fr. IX (mendose numerus IV positus est) adde: Fortasse (ex viri cuiusdam doctissimi sententia) legendum est *moestaret* et retinenda Merceri coniectura *inflammari Adridae naves v. s.*
— 20 lin. 7 lege *vulneratus inducitur.*
— 25 In fine notae fr. XVII *revocarent* M. uncis include.

Quae minus offendunt menda typographi supersedi notare.